




UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Philippi Servii E Societate Iesv Amicus Fidelis Vsque Ad
Mortem: Sive Modvs Ivvandi Moribvndos, Ægris, Sanisqve
Perinde Vtilis**

Servius, Philippe


Leodii, 1648


[urn:nbn:de:hbz:466:1-60032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60032)





Th. 4493.


L. II
28.














PHILIPPI SERVII
E SOCIETATE IESV

AMICVS

FIDELIS

VSQVE AD MORTEM:

SIVE

MODVS LVVANDI

Soc. Iesv Paderb. 1654.

MORIBVNDOS,

ÆGRIS, SANISQVE

PERINDE UTILIS.

EDITIO TERTIA

Prioribus auctior.



LEODII, Typis BALDVINI BRONCKART,
Sub Sancto Francisco Xauerio.

M. DC. XLVIII.

PHILIPPI ERVVI
E SOCIETATE IESV
AMICVS



Esto fidelis vsque ad mortem,
& dabo tibi coronam vitæ.

Apocalypsis 2.



Faint, illegible text at the bottom of the page, possibly bleed-through from the reverse side or a very light stamp.

Nobilis huius Candelabri
Explanatio.

HAC CANDELABRI sub imagine pingi-
mus adem
Seu LAMBERTE, tuam; siue MARIA,
tuam.

FERNANDVM LAMPAS; quod in illa est, si-
gnat IESVM;
Atque OLEVUM EFFVSVM NOMEN id esse
probat.

Dextera PRAEPOSITVM tegit arbor; laua
DECANVM;

Esse OLEI GEMINOS vtraq; Oliua docet.
His manus in miseros pingui distillat oliuo,
Scire tamen quid agat dextra, sinistra ne-
quit.

Pulchra LVCERNARVM series, quae lucet, &
ardet,

Proludit sacris ARCHIDIACONIBVS.

Inde, sibi Pastor (Legio qui plurimus agro est)
Lychnus, ut à lychno Principe, lumen habet.

Illustres titulos insignia fixa loquuntur.

VoX MansVra DIV, sVnt genVs aC proaVI.

O Sol, ô patriæ radiantia lumina tantum

Ferre iubar nescit cœcus amore liber ;

*O finite (vt quondam furtim de Sole Prome-
theus)*

Sic face de vestra, mutuet ille facem.

Luminis vt vestri clarus splendore salubrem

Conferat agrotis FIDVS AMICVS opem.

Annuitis? liber, i, terra securus, & vnda ;

Indemnem Procerum tessera multa facit.

PER-





PERILLVSTRIBVS
ET ADMODVM
REVERENDIS DD.
PRÆPOSITO,
DECANO,
SEPTEM ARCHIDIACONIS
NOBILIS ECCLESIAE
LEODIENSIS.

BREVIS in volatili-
bus est apis, & ini-
tium dulcoris ha-
bet fructus illius,
inquit Ecclesiasticus c. 11. v. 3.
Ita parvus in Libris est hic Libellus,
a 3 (Viri

EPISTOLA

(Viri Perillustres atq; admodū
Reuerendi) fructus verò eius veri
dulcoris initium habet. Quid enim bea-
tæ perennitatis dulcore dulcius, quam
primoribus quasi labris in morte, si bo-
na est, delibamus? sic est, in bonæ
mortis faucibus, Diuinæ gratiæ apes,
vt olim in Samsonici Leonis ore mel-
lificant, subsequaturæque gloriæ fauum
parturiunt, omni mellis fauo suauio-
rem. At exarmanda antè mors, exun-
gulandusq; Leo est; Leo ille rugiens
qui circuit quærens quem de-
uoret, maxime autem in regione
vmbrae mortis. En tibi Ami-
cum fidelem, qui artem hanc cal-
leat, doceatq; (sive mortem sive Dæmo-
nem victum intelligas) quàm verum sit
istud

DEDICATORIA.

*istud Samsonis problema: De forti
egressa est dulcedo. Iud. 14.*

*Non modò mellis dulcorem, sed &
olei splendorem habet huius Libelli
fructus. Estq; non absimilis, vt San-
cti Petri verbis vtar, Lucernæ lu-
centi in caliginoso loco: 2. Pe-
tri 1.*

*Moribundis enim in loco ac tem-
pore, verè caliginoso, bene mo-
riendi facem prælucere satagit. Vt
proinde minimè mirum videri debeat,
si tanta ambitione ad filios olei, &
ad lucernas in Zachariæ Candela-
bro coruscantes adspiret; à quibus olei
aliquid splendorisq; mutuetur. Quod si
Sacrae Paginae interpretes haud malè
arbitrantur Prophetam, per duos filios
a 4 olei,*

olei, ad duos illos Cherubinos alluisse, quos ex oleæ ligno, quasi filios olei Salomon fabricauerat; quidni & nobis, sub eodem schemate, duo illa nobilissimæ Eburonum Ecclesiæ lumina, Præpositum, inquam, ac Decanum liceat intelligere? quandoquidem sicut illi, Dei arcam; ita hi, Lambertinae Aedis dignitatem, prudentiæ, auctoritatisque suæ, quasi alis asserant, atque ad Diuini honoris amorisque studium accendant.

Per illam porrò longè pulcherrimam Lucernarum lucentiū, ardentiumque seriem, quidni sacrum Leuitarū Septemuiratum accipiamus? qui, ideò Apostolorum Senatui additus est, ut eorum partes obiret in Olei, id est in

DEDICATORIA.

in caritatis, gratiarumq; distributione?

*Ierosolymam Roma imitata est,
totidemque sibi Archidiaconos elegit.*

*Vt Roma Ierosolymam, ita Le-
gia Romam, filia matrem æmulata,
sacri illius Septemuiratus ordinem Vi-
ris tam illustribus instruxit, vt vel
ideò Candelabrum istud aureum dici
posse videatur, quod eos referat, in qui-
bus mores aureæ illius ætatis etiam-
num resplendeant.*

*Ego itaque illi Diogenis Lucernam
non appenderim; quæ die clara homines
querit, nec reperit: non fatuarum Vir-
ginum lampades, quæ tunc obtenebre-
scunt, cum maximè lucere debeant.*

*Tales malim quales Sanctissimus
Antistes Carolus Borromæus, in Ec-
clesiæ*

EPISTOLA

clesiæ suæ Mediolanensis Candelabro
desiderabat, quæ moriendo non foeto-
rem sed splendorem relinquerent. De-
cere enim aiebat, sicut Imperatores
stando, ita Ecclesiæ Præsules lucendo
emori.

Eiusmodi lucernas aureo huic Can-
delabro non defuisse, vel ex eo sit con-
iectura, quod earum non paucæ diuini-
tùs electæ sint, vt de lucernis Lãpas
suprema fierent, inque minores lam-
pades Orbe toto Christiano perenne
Oleum, id est omnem Ordinis, Iu-
risdictionisq; potestatem infunderent,
alios subinde, aliosq; in lychnos transfundendum. Vos ego testes hic appello
Stephane, Gregori, Urbane,
Pontifices verè Summi, quos non ma-
le

DEDICATORIA.

le gloriabuntur Archidiaconi Leodienses è suo olim septemplici lychnucho auulsos esse, vt in supremo Romani Candelabri fastigio collocarentur.

O illustre igitur, & verè aureum vestrum hoc Candelabrum ! cui Roma fasces suos toties submiserit, quodque parenti suæ splendorem toties foenerauerit. Quare non immeritò Libellus hic (obscuro sanè loco editus) ad illud accesserit, vt ab eo splendoris strituram saltem aliquam eblandiatur.

Date hoc Amici fidelis egestati; (Perillustres ac Reuerendi admodum Domini) atque adeò parentis eius, meum, inquam, hunc laborem qualè qualem, æqui boniq; consulite. Eundem in scopum vnà vobiscum collimavi, licet dispari

EPISTOLA DEDIC.

dispari multum conditione. Ego boni
Pastoris partes sub Amici fidelis no-
mine conatus sum adumbrare: Vos
factis Pastorem bonum representatis.
Scripta mea mutæ sunt tabulæ mor-
tuæq; elementa: Vos, viuæ, spirantesq;
imagines. Facietis spero, vt quod stylo
meo defuit ad perfectam Amici fidelis
informationem, auctoritatis ac digni-
tatis vestræ accessione compensetur.

Sic voueo, votiq; reus has obsequij
fidelitatisq; tabellas perillustri Cande-
labro vestro volens lubensq; appendo.

PHILIPPVS BOVCHY SERVIVS
Societatis IESV.



AD LECTOREM.

VIx dum biennium est, Amice Lector, cum Artem bene moriendi, non tam nostris, quam Sanctorum Patrum regulis præceptionibusque definitam vernaculo idiomate vulgauimus; cui cum modum animandi ægros ad mortem piè obeundam, tamquam appendicem addidissemus, iudicarunt nonnulli appendicem illam & seorsum, & Latine imprimendam esse; cum vt decisa Libelli modica ea portio portaretur faciliùs, tum vt Latini sermonis privilegio utilitas eius latiùs emanaret. Ægrè adduci potui vt descriptionis characterem immutarem: non quod Latini sermonis maiestatem amplitudinemque nesciam, sed quod eius argumenti Libellos Latine scriptos videam plurimos; è quibus tamquam è fontibus (fatebor enim) hausi non illiberaliter quod sitientibus concha patria propinarè. Ne tamen pluri ego meum, quam amicorum iudicium facere videar, morem
eis

AD LECTOREM.

eis gero, & quidem haud paullo, quàm rogatus eram, prolixius. Addidi enim ad calcem, Casuum quorundam qui Confessarios subinde perplexos habent, Resolutiones moribundis fauentiores, è doctis probatisque Auctoribus mutuatas.

Non decreui Gallico meo ita adhære, vt verbum de verbo Latinè expressum efferam; cur enim me ipse vinculis meis obligem? seram, vbi serendum; euellam, vbi euellendum iudicauero: Quod si me ideò quispiam ad Prætorem ex iure manu confertum vocet, in promptu diribitio est: fundum meum excolo.

Hoc etiam admoneo, Tractatum hunc non tantùm moribundis, sed & eorum adiutoribus, atque adeò alijs benè firmis profuturum: illis, quia iuxta Apostoli mentem, qui alium docet, seipsum docet maximè; his, quia consultissimum est extremo illi agoni diu ante proludere, quodque tunc agrè & minùs perfectè ob animi corporisque affectas vires, præstatur, perfectiùs modò diligentiusque præstare; defectus olim committendos, quasi supplendo, ac resarciendo.

LIBRI

LIBRI DIVISIO.

Dividitur autem hic Tractatus tres in
Partes.

In Prima agitur de Amici fidelis of-
ficijs.

In Secunda variæ Preces, Orationesq;
recitandæ in gratiam ægrorum moribun-
dorumque suggeruntur.

In Tertia Casuum nonnullorum Re-
solutiones ex probatis Auctoribus osten-
duntur.

Ad rem iam propiùs accedo; & quise
aduersus ægrum gerere debeat Amicus
fidelis; æger verò aduersus Amicum fi-
delem, amicè, familiariterque demon-
stro.

FACVL-



FACULTAS TYPOGRAPHO
CONCESSA.

Cum Opus sit maximæ charitatis,
Magniq; meriti, inprimis verò Deo
gratum moribundos iuuare, etiam ijs
adfsistentibus salutaria documenta pro-
ponere, non potest non esse valde vti-
lis præsens Libellus Reuerendi in Chri-
sto Patris PHILIPPI BOVCHY
SERVII Societatis IESV; Idcirco
Balduino Bronckart Typographo Leo-
diensi illum typis commitendi potesta-
tem facimus. Datum Leodij in Ædi-
bus nostris Claustralibus hac 17. Mar-
tij 1642.

IO. A CHOKIER, Canonicus
& Vicarius Generalis
Leodien.

AMICVS FIDELIS

VSQVE AD MORTEM :

SIVE

MODVS INVVANDI

MORIBVNDOS,

ÆGRIS, SANISQVE

PERINDE UTILIS.

CAPVT PRIMVM.

*Æger, Amicum deligat, cui animæ
sua curam fidenter credat.*

STATIM vbi periculosa
ægritudinis indicia de-
prehenderis, Amicum fi-
delem aduoca, qui te in
incipiti mox agone lu-
ctantem dirigat, iuuetque ad obti-
nendam æternæ salutis palmam.

Amicum fidelem hîc appello, qui

A

solan-

2 AMICI FIDELIS
solandis iuuandisque moribundis se-
dulam nauat operam, quiq̄ue, quod
experiens medicus est ægro corpori,
hoc ipse est mentis ægritudini: siue id
agat ex officio; siue ex charitatis zelo.

Multa de veræ amicitiaë laudibus
sacri, profaniq̄ue Auctores præscri-
pserunt, hos inter, Socratem dicere so-
litum accepimus, nullam esse posses-
sionem pretiosiore[m] vero bonoq̄ue
Amico: Ecclesiasticum loqui diceres;
sed perinde est ex aureone, an ex tubo
fictili lymphâ profluat; dūmodo lim-
pida sit: vultisne vt illam ex ipso Spi-
ritus Sancti fonte depromamus? ni-
mirum:

Purius ex ipso fonte bibuntur aquæ.

Ecc. 6. *Amicus fidelis protectio fortis: qui autem in-
v. 14. uenit illum, inuenit thesaurum.*

15. 16. *Amico fideli nulla est comparatio, & non est
digna ponderatio auri & argenti contra
bonitatem fidei illius.*

*Amicus fidelis, medicamentum vitæ & im-
mortalitatis.*

O te felicem, Amice fidelis, qui lau-
dum tuarum præconem talem nactus
es!

§. PRI-

§. PRIMVS.

*Amico fideli diligenter ex-
pendenda.*

Intelligat in primis Amicus fidelis, quanti momenti opus aggrediatur, nempe operum diuinorū, vt ait Dionysius, diuinissimum; in quo de eterna Amici salute agitur, quo in opere si quis error admittitur, nullā vel industriā vellabore reparatur. Quare Lamachus Centurio apud Lacædemonios non ignobilis, sapienter admonerat non perinde errari in bello atque alijs in rebus, quod error ille sit irreparabilis, alij non item. Idem dixerim de errore in hoc bello spirituali: *si enim ceciderit lignum ad Austrum, aut ad Aquilonem, ibi erit.* Eccles. II.

Cū ergo ad agrum vocaris, velim apud te reputes Prouidentiam Diuinam vti velle ministerio tuo, vt animulam vnā sibi longē carissimā ad optatæ salutis portum adducas: oter beatum, si Deo tuo, in opere tam eximio fueris cooperatus! Si iustus est qui te vocat, alloquio tuo spirituali

4. AMICI FIDELIS

animatus, fidei, spei vel caritatis actus forsitan aliquos excitabit, quibus cælum ditior ingrediatur, eamque beatitudinis suæ partem, industriæ tuæ, æternùm acceptam feret. Quod si peccatorum sarcinam apud alium priùs deposuerit quàm tu ad illum adieris, captata occasione, aliquas contriti cordis lacrymas elicies, illudque saltem consequeris, vt ignes purgatorios celerius euadat, Deoque suo, opera tua adiutus, aliquanto citius perfruatur.

Quid quod non rarò ad eum euocaberis, cuius salus in dubio est? imò qui animæ iacturam facturum est, nisi protinus suppetias adferas? Deus bone! quo tandem animo in te futurum existimas, si, quod auertat Deus, ille ad quem adire neglexisti, ignibus addiceretur æternis? à quibus tamen eum verbis duobus asserere potueras: quas non flammæ, quas non furoris faces in caput tuum eiacularum est? melius ominor: quàm lætas, quàm iucundas depromet voces animi memoris indices, quisquis opera tua & industria viderit sese è periculosis mundi

di

di huius fluctibus eductum, in tutissimo salutis portu conquiescere? crede mihi, pro referenda gratia Deum precibus sollicitare non desinet, usque dum in cœlo gaudij tanti socium habuerit, cuius obtinendi tam bonum in terris nactus est adiutorem.

Quod si beati (vt loquar cum Scriptura) fraudari nequeunt à desiderio suo, intelligis, opinor, Amice fidelis, quàm benè, quàm vtiliter operam locas, atque adeò cum moribundos adiuuas, te non magis illorum saluti, quàm gloriæ tuæ velificari. Nam si Apostolo, Philippensibus, quos ad pietatem erudiebat, dicere licuit: *Gaudium & corona omnes vos estis*: quomodo non erunt gaudium & corona tua, quos ad gaudium coronasque cœlestes quasi manu duxeris? Age ergo, animos magnos indue,

Phil. 4.

— *Neque enim ludicra petuntur*

Premia.

Venabitur tecum in eodem saltu tartareus Cacodæmon, sciens quod modicum tempus habet. Rabiem eius acuet metus, ne anima illa locum eius in cœ-

Apoc.
12.

A 3

lis

6 AMICI FIDELIS

lis occupet; proinde casses pedicasque expediet, fraudes dolosque suos omnes aduocabit: Tu ne cede dolis, aderit fortior ab alto Deus, in cuius ope tota spes rei benè gerendę constituenta est. Eò itaque suas, suorumque preces diriget Amicus fidelis, vt ægris quos adiuuandos susceperit, Numen Diuinum propitiet, quod vt faciliùs assequatur, sibi minimùm, Deo, vt dixi, plurimùm confidat, & curationes omnes suas ab hac precatiuncula auspicietur.

Bone Iesu qui me inter te, & hunc famulũ tuum N. medium esse voluisti, licet in me boni operis testimonium non agnoscas, officium tamen credite dispensationis non recuses: ne per me illius salutis pereat pretium, pro quo victima factus salutaris copiosum sanguinem effudisti.

§. SECVN

§. SECVNDVS.

*Quenam potissimum in Amico fideliz
desiderantur ?*

TRia debet ægro Amicus fidelis :
obsequium , compassionem , siue
doloris , ex dolore eius , significatio-
nem ; nec non consolationem . Hisce
considerationibus ad id operis excitet
se. 1. An non ego fortunatus , cui no-
bilis hæc prouincia obtigit , in qua , vi-
tæ suæ partem non exiguam posuit
Christus Seruator meus ? 2. O quàm
iucundum erit in decretorio illo ex-
tremi iudicij die , audire verba ista
mellea ! *Venite benedicti Patris mei ; possi- Math.*
detè regnum , &c. Æger fui & visitastis 25.
me , in luctu eram , & consolati estis
me . Si casu dolet digitus , confestim
ad illum iuuandum oculorum orbes
conuertuntur . Si læsus est pes , sine
mora pedi manus opitulatur . Nonne
sumus vnus corporis membra ? Absit
ergo , vt alter alteri , quod in nobis e-
rit , caritatis hoc obsequium denege-
mus , aut malignè præstemus .

Amici fidelis intentio purissima ef-

8 AMICI FIDELIS

se, nec aliò ferri debet quàm vt ani-
ma, Christi redempta sanguine, finem
suum, qui est æterna beatitudo, conse-
quatur.

: Optandum est vt non mediocriter
versatus sit in rebus spiritualibus, & vt
prudentiam gratiamque habeat cum
omni hominum genere utiliter con-
uersandi: aliter enim cum doctis &
ingeniosis, aliter cum indoctis ac ru-
dibus gerere se debet: illis, pauca &
selecta, his, paulò plura, eaque ma-
gis explicata suggerenda erunt; neque
semper eodem modo cù his, vel cum
illis procedendum: Videndum enim
an qui inuisantur sensibus adhuc vi-
geant, an fortè morbus reddiderit il-
los hebetiores: videndum an graui-
ter, an leuiusculè cum doloribus con-
sistentur. Habenda interdum circū-
stantium ratio, quibus subinde oppor-
tunè dicta prodesse poterunt. Cauen-
dum autem ne vno contextu, ne pro-
peranter nimis, ne vno tono dicantur
omnia; silum de industria interrumpen-
dum, silentioque indulgendum, vt
æger audita meliùs digerat, & cre-
briori-

rioribus interrogationibus fortè fatigatus nonnihil interquiescat.

Verba ipsa candida sint, fuci omnis expertia; loquendi modus natiuus, ab omni fastu & affectatione remotus. Benè fecerit Amicus fidelis, si res ipsas quæ dicendæ sunt, modumque dicendi ac ordinem præmeditetur: nam si alijs in negotijs, in hoc maximè videndum est quid, quando, quomodo, quatenus.

S. Ignatius Loyola, part. 4. const. c. 8. §. 7. Curandum est, inquit, vt ea quæ ad benè moriendum conferunt, quique modus in eo tempore in quo tantum est momenti ad finem vltimū æternæ felicitatis consequendum, vel ab ea excidendum teneri debeat, intelligatur. Sacerdotibus verò, qui euocantur ad iuuandos eos qui morti vicini sunt, præscribitur, vt ea in promptu habeant quæ vsui esse possint: vtque tamdiu illis adsint quamdiu sola necessitas postulabit.

AS §. TER-

10 AMICI FIDELIS
§. TERTIVS.

*Quid maximè obseruandum
Amico fideli.*

Quod primò dictum oportuit, di-
cam modò,

*Idq̄, vnum repetens, iterumq̄, iterumq̄
monebo.*

Amicus fidelis, quocumque tandem
tempore ad ægrum euocetur, moras
omnes abrumpat, negotia alia, quam-
uis in speciem vrgentia tantisper sepo-
nat, & negotium hoc, negotium nego-
tiorum existimet. Nouit animarum
hostis quantæ vel momento vno re-
rum conuersiones fiant, nouit quan-
tum boni moribundo afferat Pastoris
vel alterius Sacerdotis præsentia, cu-
ius verba (incantamenti suis omnibus
potentiora) immanè quãtum perhor-
rescit; vt proinde mirum non sit eum,
vnde vnde curarum semina accersere,
morarum causas innectere, consutis
dolis quamplurimos ex quouis fer-
ro lignovè obices fabricare, quibus à
morientium tabernaculis, Parochi in
primis, alijque Sacerdotes arceantur.

Ex-

Expertus id est, sed cum ingenti animi sui dolore Beatus Seuerus Pastor, cuius meminit S. Gregorius Dialogorum suorum lib 1. cap. 12. qui rogatus vt moribundo præsens adesse vellet, iam mox venturum se recepit vbi negotiolum quod præ manibus erat, absoluisset. Substitit ergo tantisper dum vineæ suæ palmites qui pauci supererant, resecurisset; id enim operis illi tum præ manibus erat. Sed heu!

Suffocant parua commoda magna mora.

Ante mors ægro vitam, quàm ille vitam, siue vitis suæ palmites amputauit: documento futura sanctis etiam Sacerdotibus, periculolum esse, in hoc animarum negotio tergiuersari. Venit interim Beatus Pastor, qui vbi hominem expirasse vidit, propius nihil factum est quàm vt & ipse cum illo expiraret. Ergo miserum se inclamare, vineam suam vt curaret, Domini vineam neglexisse, tarditatem suam incusare, eique tam acerbæ mortis causam adscribere, imò verò morte crudeliorem se fuisse: illam, corpus; se verò, animam

animam

12 AMICI FIDELIS

mam peremisse. Precibus denique, lacrymis singultibusque obtestari, hanc ut sibi noxam remittat Deus, eamque nolit defuncto fraudi esse. Hæc ille, funeri affusus tam mæsto, tam lugubri carmine ingeminabat, ut eius, mortales, immortalesque caperet miseratio: Deus ipse, cui *proprium est misereri semper & parcere*, seruo suo indiligentiam hanc condonauit; & ne tam graui affecto animo mæroris næuus vllus resideret, eum qui viuere desierat, in Amici fidelis gratiam, ad vitam reuocauit. Quid hic illi (exclamat Anonymus Monacensis) quos morituri non è vinea, sed vini taberna vocant, & sæpè, heu! frustra vocant, qui tamen ab inferis reuocare animos non possunt, sequi possunt? Hinc interim, discat Amicus fidelis, moribundorum causis non indormire, aut ad eos non oscitanter accedere: quemcumque periclitari de vita, vel solo tumore acciperit, non expectet vsque dum aduocetur, vltro ipse ad amicum nec inuitatus aduolet.

Monebat olim Democritus, ad nuptias

etiam celebresque alios conuiuiorum, vel ludorum apparatus, amicum inuitatum ire debere; ad exequias verò, ad morbos lugubresque & infortunatos rerum euentus debere eundem etiam non inuitatum properare. An non id Christianis potius quàm Ethnicis faciendum?

Imitetur Amicus fidelis, eum qui ex vero fidelis Amici nomen sibi vindicare potest, & de cuius fideli & constanti amicitia præclarum illud extat testimonium. *Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos.* Vocatus ille ad Centurionis seruulum nihil cunctatus: *Veniam, inquit, & curabo eum.*

Ioann.
13.
Math.
8.

Dicat aliquis: diligebat Lazarum Iesus, testantur id per breues illæ quidem, sed amoris plenissimæ litteræ: *Domine ecce quem amas infirmatur.* Quid, quod eius gratia lacrymatus est IESVS, & ita lacrymatus, vt circumstantes dicerent admirabundi: *Ecce quomodo amabat eum!* quid tum postea? Et tamen admonitus de eius infirma valetudine, remansit nihilominus in eodem loco duobus diebus priusquam ad

Ioann.
11.

14 AMICI FIDELIS

ad eum adiret. Frustra es mihi Amice, si tarditati tuæ futilem hanc excusationis telam prætexueris, quasi verò non potuerit Christus absens peræque atque præsens Lazaro opitulari: Sciebat ille, quod clā te est, quid ad suam Patrisque gloriam conduceret magis. Quando vitæ mortisque clauēs habebis sicut ille; quando moribundum, si fors ante moriatur quàm tu adueneris, ad vitam arbitrato tuo suscitare poteris, per me licet, quamdiu voles, remorare.

Paraphrasi huic non parum luminis afferet quod narraturus sum, & est tam recens, vt vel idè qui narrandi potestatem fecit, nominandis personis abstinendum censuerit.

Cùm, non ita pridem, secundùm mensam, ex more nostræ Societatis, in locum pijs colloctionibus & honestæ animorum relaxationi destinatū, Patres frequentes conuenissent, sermoque casu incidisset de fructu qui ex ægrorum visitationibus proueniret; P. Prouincialis qui vnà præsens aderat, casum in consilium vertit, vtque omnes

nes ad operis (quod tam Deo gra-
 tum, tam salutare proximo nouerat)
 animaret, rem in medium attulit, quæ
 non potest non stimulos addere etiam
 sponte currentibus. Vnus, inquit, è Pa-
 tribus nostris recens obiit, vobis non
 ignotus, qui alteri, quocum peculiaris
 quædam amicitia (quatenus cautio re-
 ligiosa patiebatur) caritatis glutino
 coaluerat; & vt firmaretur magis, ita
 inter ambos cõuenerat, vt ei qui prior
 obiisset, præter solita Religionis no-
 stræ suffragia, orationum sacrificio-
 rumq; pensum aliquod superstes per-
 solueret: quod dum facit, ecce tibi se-
 mel, iterum ac tertio apparet, modo
 modestè ambulans meditabundo si-
 milis, modo aggeniculatus similis o-
 ranti. Rogat socius quo modo tan-
 dem cum illo agatur; respõdet se pro-
 pediem id enunciaturum: nec mora
 longa intercesserat, cum iterum adest,
 rogatusque iterum ecquid sibi hacte-
 nus ad felicitatem abfuisset; vnum, ait,
 sed quod erat instar omnium; nempe
 iucundam domus cœlestis (quam iam
 iam aditurus sum) possessionem. Po-
 stulatus

stulatus vbinam locorum hæfisset ha-
 stenus; respondit se maiorem partem
 temporis degisse vbi nullus doloris
 sensus, nec vlla pœnæ acerbitas, nisi
 eius quam Theologi pœnam damni
 vocitant, quæ animis separatis à cor-
 pore longè grauissima accidit, ob di-
 uinæ visionis, ad quam anhelant, sub-
 tractionem. At, cur amabo, Domi-
 nus Deus diuini vultus sui copiã huic
 famulo suo ad tempus denegauit?

Arrigite aures, animosque aduer-
 te, ô vos omnes quibus inuisendi æ-
 gros, siue ex officio, siue ex animarum
 zelo munus incumbit. Causa, inquit,
 quamobrem resolutis corporis carce-
 re, locisque lustralibus superatis, ani-
 mus absque mora ad Deum suum non
 euolauerit, hæc est, quod in inuisendis
 iuuandisque moribundis, dum vita si-
 nebat, tardior fuerim ac negligentior;
 quam tarditatem ac negligentiam vt
 expiarem, iussit Deus me hic resistere,
 quorsum? eo fine vt vbiuis gentium
 ac locorum, animam agentibus præsto
 essem, eosque, in morem Angeli tute-
 laris, quâ precibus, quâ monitionibus
 inter-

internis, salutaribusq; inspirationibus
adiuuarem, & sic, quod viuis negle-
xeram, mortuus resarcirem. Velim
autem scias, mihi vni non esse hoc sin-
gulare: sunt, non modò ex nostro, sed
etiam ex alijs ordinibus benè multi,
qui etiamnùm indiligentiam suam in-
visendis solandisque moribundis si-
mili modo expiant. His dictis, socium
valere iussit, & in cælum tandem, læ-
tus euolauit.

Quid hîc primum mirer? locine,
an expiationis nouitatem? locum esse
aliquem pœnæ omnis ac cruciatus ex-
pertem, vbi liberæ corporibus animæ
ideò attinerentur quod Dei sui visio-
nem beatificam remissè nimis deside-
rassent; cùm ex S. Brigittæ reuelatio-
nibus Concilio Constantiensi proba-
tis; tum ex Gregorij magni, Bedæ Ve-
nerabilis, aliorumque Doctorum mo-
numentis, inaudieram; nec difficulter
adducebar vt crederem, eorumque ra-
tionibus assentirer: est enim animi
nimis remissi iudicium non paruum,
non amare medullitus, flagrantissi-
misque desiderijs ad eum non anhelare

B

re

18 AMICI FIDELIS

re qui sponsæ testimonio *totus est desiderabilis*, vel, vt habet alia versio, *totum desideria*. Illud verò, mirum magis consimili pœna multari eum, qui moribundis obsequium, atque illum quæ Deo suo amoris debitum non persoluit. Voluit nempe Dominus Deus vt, vel ex hoc præiudicio conijceremus quanta caritate, non modò se, sed & proximum nostrum prosequi deberemus, cuius neglectum pari, vt ita dicam, animaduersione castigat.

Attendant hîc qui non tantum caritatis, sed & iustitiæ lege moribundi obligantur: nam si bonis alioqui Sacerdotibus ac Religiosis, ideò cœlum ad tempus clauditur quod in hoc caritatis munere remissiores fuerint; nonne meritò verendum est, ne hi (si officio suo defuerint) cœlo penitùs excludantur?

§. QUARTVS.

Amicorum fidelium par nobile.

Amici fidelis numeros omnes, ad amissim callebat, atque adeò explebat S. Ignatius, Societatis IESV Patrens

est defo
 o, totu
 magis
 ui mo
 um qu
 persol
 Deus
 njcere
 te, sec
 i debe
 ita di
 um ca
 bundi
 qui Sa
 celun
 e cari
 ; non
 i offi
 exclu
 ile.
 s, ad
 o ex
 v Pa
 rens

rens ac Fundator, vir iuuandis homi-
 nibus verè natus: calluisse, probant in-
 dustriæ, quas socijs de modo adiuuan-
 di moribundos in Constitutionibus ac
 Regulis scriptas reliquit: expleuisse ve-
 rò, egregia in primis exempla quæ pas-
 sim toto vitæ eius decursu videre est.
 Vnum affero, ex quo de reliquis fiat
 coniectura. Cùm mendicatò ægrè vi-
 tam toleraret Lutetiæ Parisiorum,
 tempusque quod stipi corrogandæ tri-
 buebat studijs decedere doleret, sta-
 tuit ad Belgas annis singulis excurre-
 re, vt ab Hispanis mercatoribus, qui
 ibi negotiabantur, pecuniæ subsidium
 in sumptus annuos emendicaret, & sic
 paucorum dierum iactura molestas
 studiorum perturbationes redimeret.
 Feliciter cessit consilium: tantùm e-
 nim quotannis pecunię referebat, quã-
 tùm sibi alterique socio satis erat ad
 parcè, modicèque viuendum. Sed ô!
 dæmonisne dicam inuidiam, an ingra-
 tissimi hominis perfidiam? exiguam
 illam pecuniam, haud exiguo quæsi-
 tam labore, suo illi contubernali ser-
 uandam Ignatius commiserat; ouem,
 lupò,

lupo, quam totam clepsit homo trium litterarum, furtimque abstulit, & miserum Ignatium eas in angustias redegit, vt rursus, magno studiorum incommodo, quotidie mendicare cogere-
 retur. Rothomagum aufugit ille, vbi dum idoneam nauigandi in Hispania tempestatem operitur, in morbum, cumque periculosum incidit. Quid agat, quò se vertat? ride, sodes, immò verò stomachare: furunculus ille, perinde atque si Ignatium singulari aliquo beneficio sibi obstrinxisset ad eum de suæ valetudinis infirmitate scribit, quin & opem auxiliumque ab eo postulat. Eam nimirum de eius caritate longo vsu opinionem imbiberat, vt neque ingritudinis aquis extinguendam, neque perfidiæ fluminibus obruendam certo certius crederet: neque cum sua fefellit fides, Ignatius enim, qui in omnem occasionem iuuandi proximos excubabat, oblatam hanc auidissimè arripuit; & videte quam in Amico fideli requirimus celeritatem ac diligentiam. Rothomagensis iter, quod tridui erat, sine viatico,

co,

co, nudis pedibus, ieiunus, & ita ieiunus vt ne aquam quidem gustaret, ingenti spiritus alacritate percurrit, querendi iuuandi que hominis gratia, à quo tam insigni recentique iniuria affectus erat.

Non destitit dæmon, more suo, remoras obijcere, & cælo dignum hoc facinus solitis artibus disturbare: cum enim se in viam, quo diximus animi robore, dare vellet, tanto subito terrore correptus est, vt neque pedibus satis consistere, neque vestimenta induere posse videretur. Egreditur tamen, & ante lucem ex vrbe Parisiensi egreditur; subsequitur tentator eun- tisq; pedes nescio quo torpore ita ligat ac degrauiat, vt si plumbei facti essent: eatenus durauit ea, siue grauitas, siue torpor, quoad superato quodam collis iugo, in planum ac spatiosum campum tandem euasit. Ibi dæmonis fractæ vires, Amici verò fidelis reparatæ; ibi tanta diuinitus luce perfusus, tanta alacritate, tanto spiritus ardore incensus, vt omni prorsus molestia, corporis que depulsa torpedine, quasi

ceruus currere, & volare magis quam Xa
 ambulare videretur. Tanti refert ob-adi
 stantia statim ab initio retinacula sol- bu
 uere, ruptisque difficultatibus seipsum liuc
 generosè superare. At nondum per- run
 ueni quò volebam. Rothomagi debi- tud
 litatum hominem offendit, fraternæ dis
 caritatis memor, immemor iniuriæ, cid
 iacentem erigit, solatur verbis, re & bus
 opera adiuuat, neque benè ei velle at- mo
 que adeò facere desinit, vsque dum re- quã
 ualescat, sanitatemque confirmet; con- inte
 firmatum iam suisque nitentem viri- rum
 bus in Hispaniam mittit, cum com- dep
 mendatitijs litteris ad suos. An non quã
 est hoc Amici fidelis numeros ad a- dise
 mussim omnes explere? Quid interim lect
 ille? tandem, tandem infidelitatem sui salte
 detestari; admirari autem Ignatij cari- pon
 tatem, & tantùm non obstupescere; goti
 postremò Diuino Numini gratias a- dam
 gere, quod suis ipse oculis eum con- tuti
 spexisset, qui officio cum offensa cer- nim
 taret, malefacta beneficijs vlciscere- egre
 tur, & perfidiam fidelitate tam insigni tem
 compensaret. om

Iniurius sim in Sanctum Franciscu agat
 Xaue.

s quàm Xauerium, nisi illum Sancto Ignatio
ert ob. adiungam, Patri, filium. Ille, vt mori-
ula sol. bundis magis ad manum esset, non a-
eipsum liud vsquam diuersorium quàm ægro-
m per. rum deligebat. In Mozambici vale-
gi debi. tudinario, dum moribundis subleuan-
aternæ dis operam nauat, ipse in morbum in-
niuriæ cidit, exemplum nempe futurus, qui-
, re & bus hætenus fuerat solatium. Vbi vis
elle at. morbi non nihil remisit, nihilo segniùs
um re. quàm antea ad labores redijt : adest
t; con. interim medicus, qui explorato vena-
n viri. rum pulsu Xauerium febre affectum
com. deprehendit, eumque ministro magis,
n non quàm quibus ministrabat, indigere,
s ad a. disertè pronuntiat; rogat proinde, vt
nterim lectulum repetat quiescatvè, tantisper
em sui. saltem quoad febris decederet : res-
ij cari. pondet vir sanctus, proxima nocte ne-
scere; gotiù sibi fore cum moribundo quo-
tias a. dam, cuius salus in periculo erat, eam
n con. tutiore in loco collocare si possit, e-
sa cer. nimuerò tunc se quietem captaturum;
iscere. egressus, miserrimum homuncionem
n signi. temerè in publico iacentem reperit,
nciscu. omni ope solatioque destitutum : quid
Xaue. agat? tamquam alter Samaritanus lan-
B 4 guen-

guentem asportat in tabernaculum suum, id est in valetudinarium (nam & ipse curabatur in publico valetudinario pari cum ceteris conditione) eumque nihil cunctatus, in lectulo suo collocat, humi ipse, si ita usus tulerit, cubaturus. Ea Amici fidelis benignitas videtur non caruisse miraculo: nam cum æger ille phrenesi laborans prius deliraret, postquam S. Francisci grabatum attigit, ad mentis sanitatem illico redijt, &, quod auebat maxime Xauerius, vitæ antea peccata omnia salutari confessione expiauit, tandemque sacramentis alijs ritè procuratis, bonæ spei plenus, eadem die vivere desijt. Tum verò liquido apparuit cur tantoperè de ægro illo laboraret; quia nimirum ei, non vitæ dumtaxat, sed & salutis præsentissimum periculum imminebat. Et dubitari poterit an verus & sincerus amor ille fuerit, qui Xauerium in curanda salute aliena vsque adeò suæ reddidit memorem?

At, quid hominis erat ille pro quo tantoperè sollicitus erat? erat, inquit,

quit, vitæ eius scriptor, ultimæ sortis
 nauta, qui ex febre insaniens, nondum
 peccata sacra confessione expiauerat.
 Discamus & hoc à B. Xauerio, nempe, *Esa.*
 Amici fidelis pallium non debere esse *28.*
 tam breue vt duos operire nequeat;
 sed eiusmodi vt pauperes æquè atque
 diuites; ignobiles peræquè atque no-
 biles amplissimo caritatis sinu com-
 plectatur. Sunt qui diuitum nobi-
 liumque ægrotantium limina, frequē-
 ter; pauperum verò, rarerè conte-
 rant: quasi animæ illæ, carius; hæ ve-
 rò, vilius æstimentur. Nonne omnes
 vno eodemque IESV-CHRISTI re-
 demptæ sanguine? credo ego, pannis
 vilioribus, minora; purpura verò &
 bysso, maiora plerumque, crimina ob-
 uelari. Vtvt est, Christus Dominus
 ad Centurionis seruulum promptius,
 quàm ad Reguli moribundum filium
 profectus est. Dei sui exemplo Bea-
 tus Xauerius, vt quisque moribundo-
 rum erat miserrimus, & ope humana
 maximè destitutus; ita ad illum adi-
 bat frequentissimè, diurnis officijs
 vigilias nocturnas adiungebat, &, vt

canonizationis eius Bulla loquitur, veluti à commissa custodia, nec die, nec nocte discedebat. Hic ergo, Amici fidelis, sincerique amoris lapis lydus esto: præsto esse ei, qui, quo amorem tuum inuitet, speciosius habet nihil quàm vlcera; nihil potentius, quo affectum tuum sibi conciliet, quàm miseriarum atque ærumnarum mille plaustra.

§. QUINTVS.

Nonnulla alia ab Amico fideli in gratiam ægroti præstanda.

CVrabit vt in ægrotantis cubiculo altum sit silentium. Non temerè quosuis ad alloquium admittet, sed eos dumtaxat, quorum consuetudine æger subleuetur.

Cauebit ne profanus vllus sermo ibi misceatur: imò parentum gemitus, amicorum complorationes visitationesque nimis crebras moderabitur. Omni præsertim studio & conatu arcebit eas personas quarum aspectu peccandi affectus possit recalescere; quales sunt turpium olim voluptatum, popinarum,

uitur, pinarum, alearumque locij, & id ge-
 ec die, nus frugiperdæ.

Ami- Sacras imagines Christi Domini
 pis ly- crucifixi, Beatæ Virginis, vel Sancti
 amo- Angeli Tutelaris ob oculos decum-
 bet ni- benti apponi curabit. Vasculum item
 , quo aquæ lustralis, quâ subinde æger, tha-
 quàm lamusque adspargatur.

mille Iubebit moribundum totum iam
 esse in spirituali animæ negotio pro-
 curando, missa procul omni rei alienæ
 sollicitudine.

li in Suggestet decumbenti, provt con-
 dicio exiget, breues, ac pietatis plenas
 orationes; siue è Psalmis illæ, siue è
 iculo SS. Patrum libris depromantur: sed
 merè id fiat cum ea moderatione, vt au-
 , sed dientem molestia non afficiat.

adine Monendus, vt quando mens adhuc
 rmo viget & ratio, fidei, spei, & caritatis,
 emi- aliarumque virtutum actus subinde
 sita- eliciat.

tur. Quòd si ita affectum viderit, vt æ-
 ar- grè se ipse excitare queat, iuuare ces-
 pee- sante poterit, atque adeò verba præ-
 qua- ire, vel hoc, vel simili modo.

po- *Interro-*
 um,

Interrogationes, quibus aeger ad fidem dei, spei, caritatis, aliarumque virtutum actus elicandos adiuetur.

1. **E**Cquid ita animo comparatus es, ut firmiter credas, quæ Deus reuelavit, & nobis per Ecclesiam Sanctam Catholicam & Romanam credenda proposuit? *Resp.* Omnino. Dic ergo mecum, *Credo in Deum, &c.*
2. Nonne fiduciam tuam omnem in Deo IESU tuo defixisti? annuis bonum factum. Nemo vnquam in eo speravit, & confusus est. Quare & tu fidenter dicas: *In te Domine speravi, non confundar in eternum. Quoniam tu Domine, singulariter in spe constituisti me. Quid ira? ô Domine, quia ego seruus tuus, ego seruus tuus & filius ancilla tua Maria.*
3. Utinam mi Amice flagrantissimo illius amore inardescas! utinam ex vero dicamus cum Dauide. *Cors meum & caro mea exultauerunt in Deo viuo. Diligam te, Deus meus, diligam te; sed eo amore quo dilexit te Mater tua, mater pulchra dilectionis: & quo amore te diligunt*

ligunt in caelo Cerubini & Seraphini, beati denique Spiritus, Sanctiq³ omnes.

4. Nonne verum est, & heu! verum nimis, te Deum tuum optimum maximum multis criminibus offendisse? verissimum: in multis quippe offendimus omnes. Nonne doles ex animo te eum ita offendisse, quem amore summo prosequi debueras?

Dic mecum, doleo: doleo mitissime Iesu,

Et dolor est me non posse dolere magis.

Sed cur doles? an quia multis te malis ac ærumnis obnoxium peccando reddidisti? cauesis ex illo fonte promanet dolor: non enim tam tuâ quàm Dei optimi causâ dolere debes, id est quia Diuina illius Majestas læsa est, nō quia tu pœnarum multarum reus. Imò si sapias, tuo te iudicio condemnabis, pœnasque de te ipse iustas expectes; aut certè Diuinæ Iustitiæ succensus zelo, dices cum Dauid: *Ego in flagella paratus sum.* Et cum Augustino: *Hic vire, hic seca, modò in aeternum parcas.*

Quod si ita bone Deus, gloriæ tuæ, & salutis animæ meæ expedire iudicaueris, en vitam, en mortem meam
manibus

manibus tuis trado; de ijs arbitrati
 tuo dispone: Tantummodo fiat mise-
 ricordia tua Domine super nos quemadmo-
 dum sperauimus in te. Siue enim uiuimus
 Domino uiuimus; siue morimur, Domino mo-
 rimur: siue ergo uiuimus, siue morimur, Do-
 mini sumus.

Age modò, si Dominus Deus te pri-
 stinæ reddiderit sanitati, nonne aliter
 vitæ tuæ rationes institues, maioriq̄ue
 ad perfectionem studio adspirabis?

Nihilne modò superest cuius recor-
 datione angatur animus? non. Si quid
 esset ecquid paratus esses Sacerdoti a-
 perire, & ab eo absolutionem postula-
 re? dic ergo: *Ab occultis meis munda me
 Domine, & ab alienis parce seruo tuo. Deli-
 cta iuuentutis mea & ignorantias meas, ne
 memineras Domine. Ne reminiscaris Domi-
 ne delicta mea, vel parentum meorum, neque
 vindictam sumas de peccatis meis. Parce,
 quaeso, parce mihi quem redemisti pretioso
 sanguine tuo, ne in eternum irasceris mihi.*

Plures eiusmodi, aliarumq̄ue vir-
 tutum actus afferemus, cùm ostende-
 mus, qua ratione resistendum sit dæ-
 monis tentationibus.

§. SEXTVS.

Endologia morbi tempore identidem animo pertractanda.

I.

Domine Deus meus amabilissime IESV, propter amorem tuum, & ad maiorem diuinę Majestatis tuę gloriã, suscipio de paterna manu tua omnes ac singulos huius morbi dolores, tanquam tibi in me beneplacentes, eosque vt tales amplector, & exosculor: & in illis simul adoro, amplector & exosculor diuinũ æternumq; beneplacitum tuũ, & in illo mihi benè cõplaceo.

Multiplicem sensum habere potest illud, Propter amorem tuum: nempe vt idem sit quod, Quia me sic amasti & amas, & vt magis in posterum ames: vel, quia te amo & amare volo, & vt magis deinceps amem.

II.

Domine Deus meus dilectissime IESV, propter amorem tuum, & ad maiorem diuinę Majestatis tuę gloriam, suscipio de paterna manu tua omnes ac singulos huius morbi dolores, tamquam totidem guttulas calicis
tui

tui, quem in passione pro me bibisti, & mihi propinasti; tanquam sacras amaritudinis illius tuæ reliquias: eosque dolores ut tales amplector & exosculor, & tecum dico, utinam eodem resignationis sensu! Si non possunt hæ guttulæ transire nisi bibam illas, fiat voluntas tua. Calicem hunc tuum, quem dedisti mihi, Domine IESU, non bibam illum? Calicem, quæ labia & oscula tua diuinâ suauitate perfuderunt: calicem, quem ipse prior ebibisti, relictis dumtaxat in fundo acerbitalis aliquot guttulis, ijsque celesti dulcedine temperatis: nempe ut, in beneuolentiæ significationem, haberes quod, vel sic, de calice tuo mihi propinares. Et non bibam has guttulas? Imò si ita vis, non illas modò, sed totum ipsum calicem passionis tuæ tecum exorbere sum paratus.

III.

Domine Deus meus amantissime IESU, propter amorem tuum, & ad maiorem diuinæ Majestatis tuæ gloriam, suscipio de paterna manu tua omnes ac singulos huius morbi dolores

res

res, tāquam, totidem particulas inter-
 næ illius & grauissimæ Crucis tuæ, cui
 toto vitæ tempore, ac præsertim mo-
 riens affligi voluisti: eosque dolores
 vt tales amplector & exosculor. Bea-
 tum me, cui crucem hanc tuam cor-
 pori meo infixam, velut sacrâ in-
 clusam thecâ portare, ac medullitus
 amplecti & exosculari contingit! Salue
 crux pretiosa, quæ in Christi corpore
 dedicata es, & ex membris eius tan-
 quam margaritis ornata. Suscipe me
 discipulum eius qui pependit in te: vt
 per te me recipiat, qui per te me rede-
 mit. Absit mihi gloriari nisi in hac
 Cruce tua, Domine; in qua te pro me
 crucifixum cum omnibus vulneribus
 ac doloribus tuis simul adoro, ample-
 ctor & exosculor, & in qua coextendi
 & configi tibi desidero clavis amoris,
 & lanceâ charitatis tuæ sauciari.

I I I I.

Domine Deus meus patientissime
 IESV, propter amorem tuum, & ad
 maiorem diuinæ Majestatis tuæ glo-
 riam, suscipio de paterna manu tua
 omnes ac singulos huius morbi dolo-
 res,

C

res,

34 AMICI FIDELIS

res, tanquam totidem lineamenta & expressiones imaginis tuæ, cui me conformem fieri ab æterno prædestinasti; eosque dolores vt tales amplector & exosculor, & simul in illis, hoc est, in illa tui imagine, tãquam prototypum adoro, amplector, & exosculor te Dominum meum pro me afflictum & vulneratum. Amplector item & exosculor eisdem dolores velut sacra vulnerum tuorum stigmata, velut impressa in me vestigia flagellorum, spinarum, ac reliquorum tormentorum tuorum. Vtinam eodem amoris sensu, tua ista stigmata in corpore meo portem, quo Paulus Martyresque innumeri; & perinde ac si, vt Francisco, Catharina alijsque amicis tuis, ita & mihi in pedibus, manibus & latere illa impressis! Equidem ijs in partibus impressa porto, in quibus si minus clavis ac lanceâ, at alijs certè cruciatibus fauciatus fuisti.

V.

Domine Deus meus amicissime IESU, propter amorem tuum, & ad maiorem diuinæ Maiestatis tuæ gloriam,

riam, suscipio de amantissimo corde tuo omnes ac singulos huius morbi dolores, tamquam dolores quos olim in corpore tuo præsentire dignatus es: nam (vt ait Propheta) Verè languores nostros ipse tulisti, & dolores nostros ipse portasti: eosque vt tales amplector & exosculor: nempe velut diuino tactu tuo consecratos, velut sanctificatos in patientissimo corde tuo & sacris vulneribus tuis. Et quandoquidē eosdem huius morbi mei dolores non portaris modò, sed & amplexus & osculatus fueris; amplector illos & exosculor velut amplexuum & osculorum tuorum suauitate perfusos, & simul in illis amplector illos ipsos amplexus tuos, ipsaque oscula oris & cordis tui exosculor.

VI.

Domine Deus dulcissime IESV, propter amorem tuum, & ad maiorem diuinæ Maiestatis tuæ gloriam, suscipio de amantissimo corde tuo omnes ac singulos huius morbi dolores, tamquam totidem arrhas amoris erga me tui, tamquam vestem &

39 AMICI FIDELIS

annulum nuptialem, quibus in crucis thalamo me tibi desponsas, ô sanguinum Sponse: eosque dolores vt tales amplector & exosculor: & in illis simul adoro, amplector & exosculor te Sponsam animæ meæ. Amplector, inquam, & exosculor hos dolores meos, vt annulum quem amoris non modò in me tui, sed & in te mei testem esse volo, ac symbolum æternum. Amplector & exosculor illos, vt flammeum tuæ pariter ac meæ charitatis: vt purpuram sanguine tuo tinctam, quam de effusis per vulnera pietatis visceribus, velut de bombycino subtegmine, (nã vermis esse dignatus es pro nobis) mihi texuisti, & corpori meo aptasti. Vtinam hoc nuptiali dolorũ apparatus placere possim in oculis tuis, & delectare dulcedinem amantissimi cordis tui!

VII.

Domine Deus meus, benignissime **I**ESV, propter amorem tuum, & ad maiorem diuinæ Majestatis tuæ gloriam, suscipio de amantissimo corde tuo omnes ac singulos huius morbi dolores, tamquam portiunculam hæreditatis

reditatis à te Parente optimo, Viro
dolorum & sciente infirmitatem mihi
relictam: eosque dolores vt tales am-
plector & exosculor: & in illis simul
adoro, amplector & exosculor nouum
& æternum testamentum tuum, quo
filios tuos hæredes instituisti dolo-
rum tuorum, mihiq̄ue hanc sigillatim
portiunculam aspersisti. Adoro, in-
quam, amplector & exosculor in ijs-
dem doloribus meis vltimam hanc
erga me voluntatem tuam, conscriptã
morientis sanguine, obsignatam vulne-
ribus, ipsaq̄ue crucis morte firmatam.

VIII.

Domine Deus meus suauissime Ie-
sv, propter amorem tuum, & ad
maiorẽ diuinæ Majestatis tuæ glo-
riam, suscipio de amantissimo corde
tuo omnes ac singulos huius morbi
dolores, tamquam vocem tuam; vo-
cem, inquam, pulsantis, & ad se vocan-
tis me Sponsi: eosque vt tales ample-
ctor & exosculor. Ecce venio ad te
Domine IESV: venio per vestigia pe-
dum tuorum. Suscipe me intra vulne-
ra tua, intra sacrarium amantissimi
C 3 cordis

38 AMICI FIDELIS
cordis tui; ibique me absconde & pro-
tege; donec animam meam dignam
effeceris, quæ post hanc vitam incurrat
in amplexus tuos, osculumque æternæ
pacis accipiat. Amen.

CAPVT SECVNDVM.

*Quomodo inducendus aeger ad Ec-
clesiæ Sacramenta ritè
obeunda.*

§. PRIMVS.

*Amicus fidelis inducere conabitur
aegrum ad tempestiuam
confessionem.*

AMicus fidelis, ægrotantem suavi-
ter & fortiter inducet ad pecca-
torum suorum confessionem salutariter
obeundam: ne, quod sæpè accidit,
quando maximè necessaria est, minùs
accuratè fiat. Quando enim decumbit
corpus dolore iam euictum, mens ip-
sa atque ratio ob dolorum commu-
nionem participationemque ita hebetat

cit atque obtunditur, vt ægrè scele-
rum suorum numerum inire, gravita-
temque expendere queat; (nedum pœ-
nitundinis lacrymas de ijs elicere) adeò
vt magis extorta tunc per vim con-
fessio quàm spōtanea censeatur. Dam-
nanda proinde illorum negligentia, ne
dicam dementia, qui, licet probè sciāt
habere se animum vulneribus multis
saucium, tardissimè tamen, & non nisi
mortis iam iam impendentis metu, de
medela cogitant. Videat igitur Ami-
cus fidelis, quomodo tanto malo ob-
uiam eat.

1. Dicat morbos, vt plurimùm,
Domini Dei nuntios esse, per quos
miseri peccatores admonentur vt ad
misericordiæ diuinæ tribunal festinēt,
ne Iustitiæ rigorem, vel in hoc, vel in
futuro sæculo cogantur experiri. Si-
miles sumus Israëlitis, quos, rerum
luxus & abundantia longiùs à Dei sui
cultu & veneratione remouebat; mor-
bi verò & calamitates in viam rectam
reducebant, vnde illud: *Multiplicate* *Psalm.*
sunt infirmitates eorum, postea acceleraue- 15.
runt.

C 4

2. Di-

40 AMICI FIDELIS

Cap.
59.

2. Dicat, Dominum Deum qui insinuat delicias suas esse cum filiis hominum, ambire eius amicitiam & familiaritatem; sed, pro dolor! arceri muro alicuius iniquitatis quam videt in anima eius; ait enim Isaias: *Iniquitates vestra diuiserunt inter vos & Deum vestrum.* Tollenda ista diuisio per accuratam peccatorum confessionem.

Peccatorum expiatio non modò ad animi, sed ad corporis etiam incolumitatem plurimùm confert: sublata enim causâ tollitur effectus. Id videre est in ægro illo quem languor continuus duo de quadraginta annos apud probaticam piscinam attinebat: persanato enim dicitur: *Iam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Verbum istud, *iam*, indicat antea peccasse, quàm in languorem incideret. Obseruat id, & obseruationis suæ meminit Innocentius III. in diplomate illo quo cauet seuerissimè, ne medici priùs corporibus quàm Sacerdotes animis curandis operam nauent.

Ioan. 5

Nam cur

Qua

*Quae ledunt oculos festinas demere, si quod
Est animum, differs curandi tempus in
auum?*

*Non demoreris in errore impiorum, ait Ec-
clesiasticus cap. 17. ante mortem confite-
re. Confiteberis viuens, viuus & sanus con-
fiteberis, & laudabis Deum, & gloriaberis
in miserationibus illius, quas nempe vbe-
res experieris: sequitur enim: Quam
magna misericordia Domini, & propitiatio
illius conuertentibus ad se!*

Hæc, aut his affinia afferri poterunt,
vt æger ad spontaneam peccatorum
confessionem adducatur.

Vbi hoc ab eo, Amicus fidelis ob-
tinuerit; totus erit vt in illo, doloris
sensum excitet, posita ante oculos Dei
offensæ maiestate ac bonitate; offen-
dentis verò malitia ac vilitate.

Bene etiam æstimetur Diuinæ Iu-
stitiæ zelus, qui neque cum Angelis
peccantibus, neque cum Protoplastis
dissimulauerit: sed illos è cælo; hos
verò, è terrestri paradiso, vel ob no-
xam vnicam deturbauit. Tanto enim
odio lethale peccatum prosequitur, vt
iactum impunitumque sinat nemi-
nem,

42 AMICI FIDELIS

nem, qui se eo contaminauerit. Adde
plura quæ occurrent ad exaggeran-
dam siue peccatoris ingratitude,
siue peccati grauitatem.

Videndum tamen quatenus: ne pro
contritione, desperationem excitet;
vtramuis in partem grauitate peccari
potest, vel nimis blanditijs fallendo
ærotum; vel intempestiua austeritate
perterrendo.

Inter vtrūque tene: medio tutissimus ibis.

Ad dolorem excitandum de peccatis,
Sanctorū qui in eo excelluerūt exem-
pla plurimūm conducere certum est:
quare è sacris paginis adduci poterunt
Dauidis, Petri, Magdalenæ lacrymæ.

Vitæ item Sanctorum, eiusmodi
exemplorum affatim suggerent. Pla-
cet vnius Augustini meminisse. In ea
ægritudine (ait Possidonius vitæ scri-
ptor) quæ ei postrema extitit, describi
sibi iussit Psalmos Dauidicos, qui ad
pœnitentiam pertinent, ipsosque qua-
terniones iacens in lecto, contra parie-
tem positos, diebus suę infirmitatis in-
tuebatur & legebat, & iugiter ac vber-
tim flebat. Obseruanda hîc, ait Car-
dinalis

dinalis Bellarminus, duo illa verba, iugiter ac vbertim flebat. Non enim vna die vel hora contritioni vacauit, sed per dies plurimos, sæpissimè ac copiosissimè peccata sua, licet à regeneratione sua, pauca & leuia, defleuit & expiauit. Audite iam, quàm admirabili epiphonemate vltimam sanctissimæ vitæ periodum obsignauerit: Nemo, quamuis sanctus, & perfectus, hinc decedere debet, nisi sit ante de peccatis suis confessus, & Domitici Corporis viatico instructus.

Augustino assentitur Gregorius, lib. 13. Moral. Electorum mentes, inquit, quò ampliùs æterno Iudici propinquare se sentiunt, eò ad discutiendos seipsos terribiliùs excitantur ac properant, quia propinquum sibi iudicium iugiter suspicantur.

De B. Paula scribit Hieronymus ad Eustochium, leuia peccata ita planxisse, vt illam grauissimorum ream esse crederes. Quid ergo peccatores de magnis sceleribus agere debent, quando perfecti leuia quoque delicta, quasi grauissima lugent? inquit Sanctus Isidorus.

*Disponendus æger ab Amico fidelis
ad sacrum Viaticum dignè
suscipiendum.*

Postquam æger, depositâ apud Sa-
cerdotem peccatorum sarcinâ, nō
nihil animum exhilarauerit, monebit
eum fidelis Amicus, vt Dominum
Deum in animæ suæ hospitiolum, pœ-
nitentiæ scopis iam emundatum inui-
tet. Vocatoribus multis haud opus
est, stat enim ad animæ ostium & pul-
sat, intraturus vbi aperueris; immò ve-
rò, quia cordis ei latebras per confes-
sionem aperuisti, audi quid dicat: *In-*
trabo, inquit, ad illum & cœnabo cum illo,
& ipse mecum. Felix cena, vbi datur
cum tali conuiuia, imò de tali conuiuia
conuiuari! illud est nimirum quod
admirans Ecclesia, *O sacrum conuiuium,*
inquit, in quo Christus sumitur! recolitur
memoria Passionis eius, mens impletur gra-
tiâ, & futura gloria nobis pignus datur.
Cardinalis Bellarminus ait hanc
Antiphonam ægro proponendam, vt
se dignè ad Venerabilis Eucharistiæ
sumptio-

*Lib. 2.
de arte
benè
morie-
di, c. 7.*

sumptionem comparet. Puncta in eâ
quatuor sunt, quasi totidem sacratissi-
mi cõuiuij fercula, meditationis igne
præcoquenda, & vt ea faciliùs æger
digerat, Amico fideli prælibanda.

Ad illa verba: *O sacrum conuiuium, &c.*

Consideret sacram Eucharistiam, dari
viatoribus per modum cibi, ne defi-
ciant in via ad patriam cælestem; nec
enim breuis aut facilis est è terris ad
cælum via: *Surge*, dicebat Angelus
Helix, *comede, grandis enim adhuc restat*
via; & quidem per desertum multis
magnisq̃ue periculis obnoxium. Et
tibi, amice mi, grandis adhuc restat
via, hostibus multis & latronibus in-
festissima, ideoq̃ue Seruator tuus, vt
ne animum desponderes, parauit in
conspectu tuo mensam aduersus eos
qui tribulant te, ad hanc mensam vbi
dignè accubueris, audacter dices cum
Daide: *Si ambulauero in medio umbra*
mortis, non timebo mala quoniam tu me-
cum es Domine. Erit tibi panis iste, quod
gladius Gedeonis aduersus Madiani-
tas; vel quod gladius Davidis aduer-
sus Goliad; erit denique veluti pano-
plia

1. Pun-
ctum.

3. Reg.

19.

Pf. 22.

Iud. 7.

1. Reg.

21.

Epist. 39. plia quædam qua benè armatus, intrepidè feliciterque cum tartareis hostibus dimicabis. Quamobrem S. Cyprrianus : Quos excitamus, inquit, & hortamur ad prælium, non inermes & nudos relinquamus, sed protectione sanguinis & corporis Christi muniamus. Et cum ad hoc fiat Eucharistia ut possit accipientibus esse tutela, quos tutos contra aduersarios volumus, munimento dominicæ saturitatis munimus. Quare putas, S. Nicolaus Tolentinus, tam enixè venerabilem Eucharistiam expetebat? ut tanto, inquit, viatico munitus, non deficiam in via ad cœlestem patriam profecturus : & si ob demerita mea improbus Belial, hostis meus, mihi occurrerit, possim fidenter dicere : Dominus mihi adiutor & ego despiciam inimicos meos.

2. *Recolitur memoria Passionis eius.* Ait enim Paulus : *Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat.* Ideò autem voluit Dominus Passionis suæ iugem apud nos esse memoriam, quod in ea diuitias nostras, facultates

cultates nostras, spes denique nostras omnes sitas, secundum Bernardum & Bonaventuram, habere debeamus.

Beatus Hugo à Sancto Victore, tria *Surius*
in votis habuisse dicitur: 1. Vt cibus *10.*
eius vltimus esset Venerabilis Eucha- *Sept.*
ristia. 2. Vt vltima eius cogitatio, si-
ue meditatio esset de Passione Domi-
ni nostri Iesu Christi. 3. Vt vltimum
eius verbum esset dulcissimum IESV
nomen.

Quidni & tu, eiusmodi vota concipias, oresque vt ijs bonus I E S V S annuat?

3. *Mens impletur gratiâ.* Quod cibus corporeus est corpori, hoc panis iste qui de cœlo descendit, est animæ. Ille, membra omnia corporis; hic, animæ potentias omnes reficit, nutrit, nouo replet vigore & corroborat. Memoria repletur gratiâ dulcissimæ recordationis beneficiorum Dei, ac præcipuè Dominicæ Passionis: Intelligentia repletur gratiâ fidei, quæ, & errores omnes abigit, rerum verò diuinarum notionem ingerit. Voluntas denique hoc ipso alimento, impletur gratiâ

gratiâ feruentissimæ charitatis ; quæ
 cum sit regina virtutum ; in idem do-
 micilium ceteræ attrahuntur non in-
 uitæ ; quarum possessione non potest
 hominis mens non ditissima , beatissi-
 maque apparere.

Aiunt Reginam Ægypti Cleopa-
 tram, Nobiles non paucos qui bonis
 omnibus fortunisque euersi erant, in
 Antonij (cuius partes secuti fuerant)
 gratiam, mensæ suæ conuiuas adhi-
 buisse ; vtque liberalitatis specimen
 singulare ederet, tantis eos opibus fa-
 cultatibusque auxisse, vt mutata re-
 pentè conditione, de miseris fœlices,
 de pauperibus diuites apparerent. Da-
 ita esse : quid ad illam fœlicitatem di-
 uitiasque, quibus impletur mens quæ
 Christi corpore ac sanguine saginatur?

Impium sit terrena cælestibus, æ-
 terna caducis comparare.

4. Denique, *futura gloria nobis pignus
 datur.* Quod promissum est, sine nota
 negari non potest; maximè quando ad
 adstruendam promissionis fidem pi-
 gnus aliquod relatum est : Christus
 Dominus, in Eucharistia, futuræ glo-
 riæ,

riæ, quam promisit, pignus corpus suum dereliquit: quidni ergo, ad eam aspiremus? quisquis nobili hoc viatico instructus, viam vniuersæ carnis ingreditur, ijs meritò accensendus est, de quibus Paulus: *spe salui facti sunt.* Habent enim ad manum, non ramam illum aureum gratum Proserpinæ munus, sed Virginis filium, in quo sibi Pater æternus benè complacuit. Excludi felicitate æterna non potest, quisquis æterno Patri nobile hoc pignus representauerit, quod, ad spei nostræ securitatem, Filius eius nobis oppigneravit: illi, autem, pignus istud secum deferunt, qui morientes Christo Domino, charitatis nexu intimè adunantur: de quibus à Sancto Ioanne dicitur: *Beati qui in Domino moriuntur: id est, qui morientes Christo Domino, veluti membra capiti suo, charitatis glutino copulantur.* Dic ergo, sed corde magis quàm ore. *Veni Domine & noli tardare. Descende Domine, priusquam moriatur anima mea.* Ah! bone I E S V, grandis adhuc mihi restat via, quinam possim illam
 D feliciter

Rom. 8

Io. 4

feliciter decurrere sine te, qui es via,
veritas & vita?

Mat. 8 Domine non sum dignus, vt intres sub
tectum meum, peccatorum sordibus cō-
taminatum; at, quis potest facere mun-

Iob. 14 dum de immundo conceptum semine, nonni-
tu qui solus es?

Mat. 8 Domine si vis, potes me mundare. Tan-
Luc. 7. tūm dic verbo, & sanabitur anima mea.

§. TERTIVS.

*Quid agendum præsente Vene-
rabili Eucharistia?*

VBi allata fuerit Venerabilis Eu-
charistia, si infirmitas valetudi-
nis vllō modo permiserit, assurgat il-
licò, & in genua prouolutus, illam,
quàm poterit humillimè adorabit.

Quod si morbi grauitas nullo mo-
do patiatur vt æger surgat è lectulo,
assurgat saltem si possit, inclinatisque
cervicibus Deum suum præsentem ve-
neretur.

Sæpè visus est Dominus Deus, mor-
rituris vires addere, vt in illo supremo
temporis articulo, suum in illum a-
morem

morem religionemq; palam facerent. Id apertè testatus est S. Guilielmus Archiepiscopus Bituricensis, qui, licet animam agere videretur, simul atque Deum Creatorem suum ad se adire cognouit, nō sine circumstantium admiratione, perinde quasi febris ac morbus iam omnis remisisset, de strato profiliens, concito gradu Seruatori suo processit obuiam, illumq; flexis reuerenter humi genibus, totusq; lacrimis diffluens, quantā potuit animi corporisq; demissione veneratus est; instantemq; illi agonem suum commendauit.

Non absimilis D. Hieronymi, in Deum suum ad se adeuntem pietas & religio. Incredibile memoratu, quantis & ipse lacrymis suspirijsq; ad Dei sui præsentis copiam anhelaret. De grabatulo suo & ipse festinus in terram desiliit, ibique sine molli culcitra, sine stragulis collocatus, cilicio suo dumtaxat operiri voluit; tum procumbens ingenua, diras illas pectoris tunctiones crebrò repetens, iuglachrymarum imbre madidus, cœleste

Euseb. viaticum accepit, Christumque sibi peregrinationis suæ comitem adiunxit, dicens: *Cur nunc tantum te humilias, ut patiaris ad hominem descendere Publicanum & peccatorem; & non solum cum illo manducare vis, sed teipsum manducari ab illo iubes.* Videbant nempe, Sancti illi, quas nos non videmus, abditas in Venerabili hoc Sacramento, opportunitates.

Afferri poterunt etiã exempla Sanctorum, qui auidè muniri hoc viatico expetierunt.

Agmen ducat Regina Sanctorum omnium, quæ hinc ad cælum emigrare noluit, nisi cælesti hoc viatico probè instructa; cuius votis filius eius, Sacerdos & hostia, subscribendum existimavit.

Neque Sancta Maria Magdalena, admonita ut Cælum peteret, itinerisque duces Angelos sequeretur, iter illud ante ingredi noluit, quàm Dominum Angelorum comitem haberet: quare S. Maximinum Massiliensium Episcopum accersendum curavit, ut ab eo sacra synaxi impertiretur.

Aiunt

Aiunt Apostolorum Principes Petrum & Paulum, sacrum hoc viaticum ad Diuum Ioannem Chryso-
stum attulisse.

Quid dicam de nobili illo Medio-
lanensium Præsede Ambrosio ? qui
cùm diuinissimum hunc panem desi-
deraret auidissimè, neque desiderium
præ morbi magnitudine aperire pos-
set, ecce tibi Honoratus Vercellensis
Episcopus, nocte concubia diuinitûs
admonetur, vt eius æstuantissimo de-
siderio, allatâ Venerabili Eucharistiâ,
faceret satis.

Non absimilem gratiam à D. Bar-
bara, quam sibi tutelarem delegerat,
obtinuit B. Stanislaus à Kostka Socie-
tatis IESV.

Taceo de alijs, quibus omnibus per-
censendis, Annales bene multi, vix
sufficiant.

D 3

§. QVAR.

§. QUARTVS.

*Acceptâ Venerabili Eucharistiâ,
quid agendum?*

Consideratâ nobilis huius cibi dignitate, æger cum Ecclesia admirandus exclamet: *O res mirabilis, manducat Dominum pauper seruus & humilis!* Et cum Miphiboseth. *Quis ego sum seruus tuus, quoniam respexisti super canem mortuum similem mei.* Neque tamen ibi consistat, aut in sola consideratione Diuinæ Majestatis ac humanæ vilitatis acquiescat, sed ad orationem & adorationem se conuertat. *Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ,* inquit Psalmographus. Per pingues terræ, intelliguntur qui pane hoc cælesti, qui pinguis est, Regibusque præbet delicias, saginantur.

2. Reg.
9.

Pf. 21.

ORATIONES.

Luc.
24.

Ios. 10

Mane nobiscum Domine, quoniam advesperascit, & inclinata est iam dies. Sic est, mi IESV, breuiati sunt dies mei, & solum mihi superest sepulcrum, nec ullus est Iosue qui properantem hunc solem sistat, & diem extendat.

Dies

Dies præcessit & nox appropinqua-
uit, nox illa mortis tremenda: quare,
ô fide custos hominum, non discedas
à me: sed contra mortem peccatorum
pessimam, dextera tua protegat me.

*A resistentibus dextera tua custodi me ut
pupillam oculi tui, sub vmbra alarum prote-
ge me.* Ps. 16.

Bone IESV, per sacratissimam mor-
tem tuam, da mihi bonam mortem.
Da saporem intimum æternitatis, ut
lætus, transitoria deseram.

Quando talem hospitem hospitio
acceperis, ei, latebras omnes animæq;
recessus omnes fidenter aperi, sicuti
patri, filia; sponso, sponsa. Dic Patri,
qui diues est, maximè autem in mise-
rationibus, ut pauperis filia miserea-
tur secundum magnam misericordiã
suam. Si fidei lumine indiges, dic ei:
*Illumina oculos meos, ne vnquam obdor-
miam in morte, ne quando dicat inimicus
meus, praualui aduersus eum.* Ps. 12.

*Amicus fidelis excitare conabitur in
aegro desiderium Extremæ
Vnctionis.*

QVando æger, Medicorum iudicio, de vitâ periclitabitur, monebit eum fidelis Amicus, vt ad supremam cum morte Diaboloque luctam ineundam comparet sese; ideoque, vt Athletam Christi decet, tempestiuè oleo sacro inungatur. Et primò, euellendus ei is scrupus, quo subinde angûtur ægrorum animi, nimirum, perceptâ semel Extrema Vnctione, superesse nullam ad sanitatem viam; & propterea differendam vsquedum naturæ vires penitus prostratæ sint. Præstigiæ sunt illæ meræ, anilesque fabulæ. Tantum abest vt Sacramentum hoc corporis sanitati officiat, vt etiam illam instauret, & quidem ex vi suæ institutionis, siue, vt loquuntur Theologi, ex opere operato; si tamen ita supremus medicus animæ saluti iudicauerit expedire. Vnde Concilium Cabilonense, sub Carolo Magno celebratum,

bratum, loquens de sacra hac Vnctio-
ne: Non parui pendenda est eiusmodi
medicina, inquit, quia animæ corpo-
risque medetur languoribus.

Concilium verò Florentinū: Eius
effectus, inquit, est mentis sanitas, &
quantum expedit, etiam corporis.

Cardinalis Bellarmini opinio est,
ideò rariores ægrotos optatissimum
hunc sanitatis fructū decerpere, quod
seriùs ad hanc arborem accedant.

Narret ægroto Amicus fidelis, quod
in Gemma Prædicantium tract. 2. scri-
ptum est. Anonymus, magnæ vir exi-
stimationis extremè æger, iamque à
Medicis propè depositus, interroga-
tus, vellétne sacro oleo inungi: Noli-
te, inquit, nolite, talia loqui: nam om-
nes qui inunguntur, statim moriun-
tur: hæc vbi dixit, viuere desijt, stul-
tissimæ vaticinationis fidem, mendax
alioqui vates, in se expertus. Cùm ve-
rò ferali linteo insueretur, derepentè
sibi redditus, elatâ voce, reclusisque o-
culis: quia, inquit, ab Extremæ Vn-
ctio-
tionis Sacramento ita abhorruï, an-
nos centum purgatorijs in ignibus di-
stinebor,

stinebor, reddendus haud dubiè sanitati, nisi salutarem olei sacri medicinam respuissem: sacra enim Vnctio non est, vt ego malè opinabar, mortis acceleratio, sed dilatio. Sic locutus iterùm viuere desijt.

Narrat Ioannes Nider, Rupertum quemdam qui circa annum millesimū quadringentesimum Imperij habenas moderabatur, stultissimæ huius opinionis aspergine non leuiter tinctum fuisse; at nec ipse impunè: tam multis siquidem, tam grauibus, tam molestis, ex eo tempore torqueri scrupis cæptus est, vt propius nihil fuerit, quàm vt, non modò de corporis, sed & de animæ salute deturbaretur: verùm in tempore adfuit Dei fauor, & Amici fidelis industria, à quo tandem inductus est, vt & hanc sibi spiritualemente medicinam pateretur adhiberi. Vt autem Sacramenti huius sacras cærimonias oculis vsurpauit, audiuitque orationulas pietatis ac religionis plenissimas, quæ pro decumbentis salute recitantur, enim verò se ipse incusans, ô me bardum, inquit, & imprudentem, qui
 oratio;

orationes tam pias & tam salutares
audire hactenus neglexerim : ignoscat
Deus insipientiæ meæ. Et verò igno-
uit, vitæque annos insuper non paucos
indulfit, quibus imperium suum su-
perstes sospesq; feliciter administravit.

Ecce quantum in tempestiva Sacra-
menti huius susceptione præsidij quã-
tum in neglectu periculi!

B. Elzearius Ariani Comes, miri-
ficè capiebatur cærimonijs orationi-
busque adhiberi solitis in huius Sacra-
menti administratione, maximè cum
audiret melleas illas voces, in quibus
Sacramenti forma tota consistit. *Per
istam sanctam Vnctionem, & suam pijs-
simam misericordiam, indulgeat tibi Dominus
quidquid per visum, gustum, tactum, &c.
deliquisti.* Neque verò steriles exsuccæ-
que sunt voces istæ, quod enim sonant,
operantur; nisi fors aliunde, id est à
suscipiente, obex opponatur.

Videremus hoc, si Mariæ Ognia-
censis oculos haberemus : hoc enim,
prærogatiua quadam, ei concesserat
sponsus suus, ut quoties cærimonijs
huius Sacramenti præsens adesset, quid
sibi

60 AMICI FIDELIS

sibi vellent illæ, quidvè in suscipientis anima designarent, clarissimè intueretur. Videbat autem sæpissimè Iesum Christum è solio cælesti in moribundi conclaue, innumera Angelorum Sanctorumque stipatum multitudine, descendentem; an vt spectator esset otiosus? minimè gentium. Laboranti animos interdum addebat, interdum corpori vires sufficiebat, & dum oleo vngebatur, oleo alio spiritualis lætitiæ animam perfundebat: subinde autem, Diuinitatis suæ radios tam micantes vibrabat, vt ijs quasi fulguriti infernæ stygis Tenebriones, in suum illud immane chaos, citiùs quàm olim in porcos abderent sese, aut in mare Acheronticum præcipitarent; quibus periculis perfunctus æger, bono IESU grates agebat, & salutis suæ securior, in optatissimum misericordiæ eius sinum, spiritum exhalabat.

Quod in alijs mirata in se re ipsa experta est. Tandem enim aliquando à B. Virgine admonetur vt sese ad huius sacræ Vnctionis susceptionem compararet. Matrem secutus Christus Dominus,

minus,

minus, & ecce salutiferæ crucis labarum gestitans, illud ad imum lectuli depanxit, sacrosque alios ritus adoratus est: quorum intelligentiam, Ogniacensem illam Virginem Spiritus Sancti interna Vnctio explicatè magis erudiebat.

Narrari etiam poterit, ad ægri scilicet latium, quod B. Lyduinæ contigit.

Cùm aliquando Virgo Lyduina, contemplationis alis, terra altiùs animum erexisset, tantum de repente terræ, terrenorumque subijt fastidium, vt mirùm quàm ardentè cum Paulo dissolui cuperet, & esse cum Christo spòso suo. Sponsæ votis sponsus annuit, & ecce tibi glorioso Dominicæ Resurrectionis die, benè manè videt Christum & Matrem eius cum Angelis Sanctisque plurimis quasi ad inusitatum aliquod spectaculum aduenisse: cælum ipsum, tot erant numero, descendisse diceres. Iacebat ipsa languebatque non tam morbi dolore, quàm Dei sui videndi desiderio, cùm ecce tibi lectuli spondam dexteram Christus, sinistram Maria occupat; partes alias

alias Angeli, alijque Cælites in coronæ modum ambiunt. *Quis tibi tunc, Virgo, cernenti talia sensus?* gaudet in sinu scilicet, rei que novitate tacita obstupescit. Sed immanè quantum aucta est admiratio, vbi in tugurioli sui meditullio, mensam paruulam adspexit, egregio peristromate conuestitam, in qua Sacrosanctæ Crucis signum affabre elaboratum, & ante illud, cereus è cera virgine, cuius lumen latè locum omnem luce meridiana clarius illustrabat. Videre erat præterea in illa mensa vasculum, sed ita clausum, vt difficulter quid in eo esset conijci posset. *Quid non sentit amor?* de odore & forma, consecrati olei pyxidem Lyduina agnouit. Tum verò gestire, & quantum attenuata dolore membra patiebantur, subsultare præ gaudio: tempus aduenire, & non procul auguratur esse, quo, oleo hic inuncta misericordiæ, oleo postmodum cælestis lætitiæ perfundatur. *Vix ô! vix iam sua gaudia differt:* vnus tamen sollicitam nõ parum angit scrupus, quis hoc tandem, triste dicam? imò dulce subeat mini-

ministerium? obibit ille, qui desideria pauperum solitus exaudire. Mirum dictu, Christus ipse vestibus indutus sacerdotalibus operi manum admouet, sensuum organa, Ecclesiastico ritu bonus pastor inungit; dein, cereum sacrum manu sua Lyduinæ manibus inserit; quæ, cum à morbo debiliores essent, quàm vt illum commodè sustinerent, matri annuit, vt illam secum adiuuet; & ne quam cærimoniarum partem omittat, osculandam ei crucem suam exhibet, verbisque melle magis melleis, ægram consolatur. Tandem, tandem boni Pastoris munere ad amissum perfunctus, promittit fore vt post duos, summum, dies, exantlatis humanæ nauigationis ærumnis ac laboribus, in æternæ beatitudinis portu lætum illud, & Cælitibus omnibus notum celeusma concinat: Alleluia, Alleluia, Alleluia.

Et dubitabimus quàm Deo gratū, quàm nobis salutare sit Extremæ Vnctionis Sacramentum, cuius cærimonijs IESVS & MARIA tantoperè delectantur?

Ijs

Ijs qui tarditati suæ, in suscipienda
 Extrema Vnctione, patrocinium pe-
 tunt à voce illa *Extrema*, quasi vsur-
 panda non sit nisi in ultimo necessita-
 tis articulo; dicat Amicus fidelis, ve-
 teribus Christianis in more olim po-
 situm, vt in Sacramentorum admini-
 stratione, Extremam Vnctionem Eu-
 charistiæ præmitterent. Probare id
 poterit ex Laurentij Suriij tomo pri-
 mo, in vita S. Guilielmi Archiepisco-
 pi Bituricensis, qui vixit tempore In-
 nocentij III. in qua sic legitur: Vn-
 ctionis Sacramentum humiliter ac de-
 uotè suscepit. Eo percepto, Sacrosan-
 ctam Eucharistiam sibi porrigi instan-
 tissimè postulavit; vt tanto itineris du-
 ce munitus, possit securiùs hostium cu-
 neos penetrare. Id ipsum habetur de
 S. Malachia in vita ipsius à S. Bernar-
 do conscripta.

Idem videtur doceri posse ex vita
 S. Ambrosij & S. Ioannis Chrysosto-
 mi, qui in extremo vitæ articulo, di-
 cuntur Eucharistiam sumpsisse, & sta-
 tim expirasse. Cur ibi nulla mentio
 Extremæ Vnctionis? antea nempe
 inuncti

inuncti fuerant quàm viaticum acciperent. Id insinuat Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Arte benè moriendi, cap. 7.

De huius Sacramenti dignitate ac utilitate fusiùs diximus in libro nostro de Arte item benè moriendi.

C A P V T T E R T I V M.

Quo modo solari ægrum & animare debeat Amicus fidelis, in difficultatibus ac molestijs morbi tempore occurrentibus.

§. PRIMVS.

Quo modo animandus æger aduersus difficultates quas habet vt se comparet ad mortem.

BEne, prudenterq; orabat Propheeta, cum diceret: *Cùm defecerit virtus mea, ne derelinquas me.* Ps. 70. Cùm enim dolorum aculeis attritæ vires, & viuiddæ mentis acies retusa, atque adeò ratio ipsa quasi prostrata est, tū demùm
E
stygius

stygius ille iuratusque humani generis hostis idè longè quàm antea, ferocior est, quod videat supremum hoc sibi fore cum inimico certamen; in quo, nisi vincat, vincendi in posterum spes omnis & occasio præcisa est. Hic enim est vltimus humanæ vitæ, veluti fabulæ, actus, qui, vel æterna felicitate, vel æterno animæ exitio concludetur. Ut mirum non sit, veteratorem illum, cui nomina mille, mille nocendi artes, nullum non mouere lapidem, quo miser homuncio in decretorio extremæ diei momento, quasi naus in portu naufragium patiatur. *Va terra & mari* (clamat Ioannes) *quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam, sciens quod modicum tempus habet.* Eò impensius nobis animandus est æger, conandumque ante omnia vt moriendi necessitatem patienter ferat: *Leuius fit patientia quidquid corrigere est nefas.*

Apoc.
12.

1. Dicat Amicus fidelis nos à Deo, gratis quidem vitam accepisse, sed hac lege, vt eam reposcenti, omni temporis momento redderemus.

2. Consideret feralem hanc mortis legem

legem iam inde à primis mundi incu-
nabulis in omnes omninò Adæ poste-
ros latam esse : quam legem, ne nesci-
remus, vel temporis vitio obliuiscere-
mur inculcat Apostolus ad Hebr. c. 9.
Statutum est hominibus semel mori. Te igitur
hominem esse memineris, & queri
desines. Ideò nimirum prouida Ma-
ter Ecclesia, quotannis filios condi-
tionis suæ admonet, cùm eos ad do-
mum pulueris remittit, dicens : *Me-
mento homo quia puluis es, & in puluerem
reuerteris.*

Videtur rerum natura quod grauif-
simum fecit, commune fecisse, vt cru-
delitatem fati consolaretur æqualitas:
quis autem queri possit in ea condi-
tione se esse, in qua nemo non est? *Seneca*

Non igitur à viro prudenti me-
tuenda est mors, sed quam ratione
perferri debeat & subiri, maturè pro-
spiciendum, vt cùm venerit illius ho-
ra, interriti illi occurramus.

Nemo tam imperitus est, inquit,
idem Seneca, vt nesciat sibi quando-
que moriendum, tamen cùm prope
accesserit, tergiuersatur, fremit & plo-

» rat. Quid fles miser, quid trepidas?
 » omnes hac necessitate ducuntur: eò
 » ibis quo omnia eunt, ad hanc legem
 » natus es: hoc Patri tuo accidit, hoc
 » matri, hoc maioribus, hoc omnibus
 » ante te, hoc omnibus post te. Quan-
 » tuste populus moriturorum sequetur,
 » quantus comitabitur? multa millia
 » hominum, hoc ipso momento quo tu
 » mori dubitas, animam varijs mortis
 » generibus emittunt. An non putabas
 » te ad id aliquando peruenturum, ad
 » quod semper ibas? Hæc omnia, aut
 » seorsum ex his aliqua moribundo sug-
 » geri poterunt. An author displicet?
 » sanctiorem accipe.

Ambr.
l. i. de
fide Re-
surr.

Non durum putemus quod vniuer-
 sos manet, inquit Ambrosius, quid ab-
 surdus, quàm vt id quod scias omni-
 bus esse præscriptum, quasi specia-
 le deploras? aut quid imprudentius
 quod futurum scias, id cùm accide-
 rit ferre non posse? non est grauis
 subeundus mæror secundum natu-
 ram, ne excellentiorem aliquam na-
 turæ conditionem nobis arrogare vi-
 deamur, aut communem recusare.

3. Dica-

3. Dicatur ægro Diuinæ Prouidentia oculos esse nostris longè perspicaciores, eosque videre clariùs quid animæ nostræ rationibus magis expediat; nos igitur Deo fidenter cõmittamus: ille, vt in hanc vitæ militiam veniremus, quando voluit, signum dedit; quando receptui signum alterum dare voluerit, nec grauatè, nec cunctanter pareamus. Benè librâda est ista Chrysoptomi assertio: Boni, inquit, tunc decedunt ex hac vita cùm meliores sunt: mali verò, cùm minùs mali quàm futuri essent si diutiùs viuerent.

Quid est amabo, quamobrem tantoperè mortem metuamus? An quia *linquenda tellus, & domus, & placens vxor?* sic existimo: audio enim morientem moriendo morti impropertem: *Sic cine separas amara mors? ô mors, clamat alter, quàm amara est memoria tua homini pacem habenti in substantijs suis; siue sint illæ diuitiæ, siue honores, siue voluptates, siue vxor, siue liberi, siue amici, siue alia eiusmodi, quæ vitæ amatores appellant bona. Nimirum, quò impensius aliquid diligitur, hoc graua-*

E 3

tiùs

I. Reg.

15.

Eccl.

41.

tius relinquatur. Si quid mirabere, pones inuitus. Quare non audimus Ioannem?

1. Io.

2.

Nolite, ait, diligere mundum, neque ea que in mundo sunt. Mundus enim transit & concupiscentia eius, qui autem facit voluntatem Dei, manet in eternum. Profecto si rerum mundanarum pretia, breuitate temporis æstimemus, vilissima sint oportet, quæ non horam, nec momentum habent certum.

Apud Iudeos, quoniam contractus ex legis præscripto ad certum diem præfiniebantur, quo temporis intervallum erat minus, hoc leuior erat rerum indicatura. Quanto igitur viliora nobis esse debent mundana omnia, tam fluxa, tam breuia, tot casibus obnoxia? & vt casus nullus eripiat, avara mors, velimus, nolimus, pro certo nobis ereptura est.

4. Aperiendus est potius alter animi oculus, & considerandum sedulo, quantis nos, quam grauibus incommodis, ærumnis, & calamitatibus mors absoluat. Homo natus de muliere breui viuens tempore repletur multis miserijs, inquit Iobus. A quibus cum mors absoluat

soluat omnes, ait Ambros. paucos ta-
men delectat: sed non hoc est mortis
vitium, sed nostræ infirmitatis, qui
voluptate corporis & delectatione vi-
tæ huius capimur, & cursum hunc con-
summare trepidamus, in quo plus a-
maritudinis, quàm voluptatis est. Cy-
prianus verò, quid aliud, inquit, in
mundo quàm pugna, quæ aduersus
Diabolum quotidie geritur? assidua
nobis est cum auaritia dimicatio, cum
impudicitia, cum ira, cum ambitione:
si auaritia prostrata est, exurgit libido;
si libido compressa est, succedit ambi-
tio; si ambitio contempta, ira exaspe-
rat, inflat superbia, vinolentia inuitat;
inuidia concordiam corrumpit, ami-
citiâ zelus abscindit, &c. subdit po-
stea: Et tamen delectat hic inter Za-
buli gladios diu stare, cum magis con-
cupiscendum sit ad Christum, subue-
niente citiùs morte, properare. No-
tum est illud Salustij: in luctu atque
miserijs, mortem ærumnarû requiem,
non cruciatum esse duco. Censeat hoc,
absque Christo, Salustius, & non cen-
seat Christianus? Atqui de hoc, non

item de illo canit Propheta Regius :
 Psal. Cūm dederit dilectis suis somnum, ecce ha-
 125. reditas Domini filij merces fructus ventris.
 Id est, cūm Dominus Deus fideles
 Christianos, charitatis vinculo colli-
 gatos, ideoque sibi dilectos, ad mortis
 vsque confinia, tam suauiter deduxe-
 rit, vt mors placidissima somno quā
 morti videatur similior; ecce heredi-
 tas Domini, id est, causæ nihil erit,
 quamobrem regni cælestis extemplò
 non adeant hæreditatem.

Non sic impij, non sic: longè dispar-
 erit eorum qui Christum vel non no-
 uerunt, vel non adorauerunt condi-
 tio: illos enim, post mortem manet
 mors altera, quam, ex vero, pessimam
 Propheta Regius indigitauit. Et de
 huiusmodi ita Cyprianus: mori pla-
 nè timeat, sed qui ex aqua & spiritu
 non renatus, gehennæ ignibus manci-
 patur: mori timeat qui ad secundam
 mortem de hac morte transibit: mor-
 talitas ista, vt Iudeis & gētibus Christi
 hostibus pestis est, ita Dei serujs saluta-
 ris excessus est: ad refrigeriū iusti vo-
 cantur, ad suppliciū rapiuntur iniusti.

Referata

Reserata sunt diu clausa cælorum
 atria, & minitabundus ille Cherubim
 qui Dei iussu morientibus paradisi
 aditu interdixerat, iam inde à Christi
 in cælos ingressu procul facessere iussus
 est, cum suo illo flammeo versatiliq̃ue
 gladio, & sanctè deinceps morienti-
 bus liberum in cælos aditum permit-
 tere. Est ergo, est vnde cum Dauide
 lætus concinas: *Letatus sum in his que
 dicta sunt mihi in domum Domini ibimus,*
 & quidem absque mora, nisi si quam
 tu ipse attuleris.

In morte carcer panditur, quid tre-
 pidas exire? huc vsque captiuus deti-
 nebaris, nunc liber eris, nunc patebit
 carcer, euola. Carcerem suum nemo
 sanus amat.

Illud saltem à te modò impetrem,
 vt Domini Dei tui voluntati sicut ser-
 uum decet, te lubens accomodes,
 in vtrumque paratus, seu vitam viuere
 longiorem, seu vitâ quamprimùm de-
 fungi.

Immo verò Diuinę Bonitati grates
 age maximas, quòd immerenti tam
 longam vitæ vsuram concesserit, spa-
 tiumq̃ue

tiumque indulgeat etiamnum, quo præteritos annos, ante plangas paululum, quàm viam vniuersæ carnis, siue terram mortis opertam caligine ingrediatis.

5. Voluat itidem animo, quàm multi vitam à primo limine vix saluauerint: quàm multi in adolescentiæ iuuentutisque flore defloruerint.

*Sic ego, sæpè rosas sic vda papauera vidi,
Candida sic primo lilia vere mori.*

Petat ab ægro an non multos coæuos, sibi que familiaritate aut sanguine iunctos nouerit, qui iam pridem ex hac luce subtracti sint. Pellantur istæ ineptiæ penè aniles, inquit Cicero, ante tempus mori miserum esse: quod tandem tempus? naturæne? at ea quidem dedit vsuram vitæ tamquam pecuniæ nullâ præstitutâ die. Quid est igitur quod querare si repetat cum vult? eâ enim conditione acceperas.

Cato senior, apud Ciceronem, dicebat senectutem eo nomine iucundam sibi videri, quòd propiùs ad mortem accederet, spemque certam faceret aliquando tandem in portum ex longa

longa nauigatione veniendi.

Sæpè cogitandum est, nos non ha- *Heb.*
bere hîc ciuitatem permanentem, sed 13.
futuram inquirere.

6. Audio quid dicas: velim ideò mi-
hi vitam prorogari vt melior euadam.

Caue ne vita longior faciat te de-
teriozem. Natura nostra ad malum
multò quàm ad bonum procliuior:
ideoque metus maior esse debet mi-
noris frugis, quàm spes maioris; non
refert quàm diu vixeris, inquit Sene-
ca, sed quàm benè. Accidit autem ple-
rumque, inquit Augustinus, vt qui
crescit ætate, crescat & iniquitate.

Ambrosius autem: quid tantope-
rè, inquit, vitam istam desideramus? in
qua, quanto quis diutiùs fuerit, tanto
maiore oneratur sarcina peccatorum.
Sufficiat diei malitia sua. Eius est diu
in mundo velle manere, quem mun-
dus oblectat, quem sæculum blandiēs
atque decipiens illecebris terrenæ vo-
luptatis inuitat: Porro cùm mundus *Cypria.*
oderit Christianum, quid amas eum
qui te odit? & non magis sequeris
Christum qui te redemit & diligit?

An

An nescis signum esse diuini amoris,
citò eripi è medio iniquitatum? audi
sap. 4. Scripturam: *Quia placens Deo factus est
dilectus, & viuens inter peccatores, transla-
tus est: raptus est ne malitia mutaret intel-
lectum eius: placita erat Deo anima illius,
propter hoc properauit educere illum de me-
dio iniquitatum.*

Hæc, & similia solatio esse poterunt
acerba morte decedentibus; maxime
si benè apprehenderint vitam breuior-
rem posse esse animæ magis salutarem.

Ludunt in cæli viridarijs, palma &
coronis nobiles innocentes pueruli,
quos lucis primo in limine Christi in-
secutor sustulit ceu turbo nascentes
rosas. Quis nouit an vita productior
aliquos è floribus illis non decuteret?

Quid Agneti virgini tenerrimæ an-
nus decimus tertius obfuit? quid Ca-
tharinæ decimus octauus? Semper
dies pauci erunt, si illos numeraueris,
inquit Seneca, nec morâ fit vita bea-
tior, sed longior. Quanto satius est nõ
aliorum annos computare, sed suos
benignè æstimare & in lucro ponere:
hoc me vitæ tempore dignum iudi-
cauit

cavit Deus? satis est; potuit plus, sed
hoc quoque beneficium est.

— *Exacto contentus tempore vite*

Horat.

Cedat, uti conuiuia satur.

7. Quod si Sanctorum oculos haberemus, longè aliam de morte opinionem conciperemus. Quid Propheta Regius? Quid Paulus? *Heu mihi*, inquit ille, *quia incolatus meus prolongatus est!* hic verò: *Cupio dissolui & esse cum Christo.*

O vita longa! nimiumque longa! ubi non viuitur, aiebat gemens Terefia. O mors quæ vitam parturis! quis te iure metuat, cum vitam parias? quidquid querantur vitæ amatores, quàm longa est hominis vita! breuis est, fateor, & si res benè suis momentis expendatur, breuior est quàm vt tantillo tempore homo mereri possit tam longam beatitudinis eternitatem; longa tamen ei, cui sine Deo suo viuere mors est continua, & non vita.

Mors Christianis ludus est, inquit Prudentius; Et ne vllus ludum hunc expauesceret, ita cecinit:

Non

Prudē-
tius.

Non est credite, poena quàm videtis

Qua puncto tenuit, citata transit,

Nec vitam rapit illa, sed reformat.

Siquidem optimo cuique idem felicitatis principium est, qui finis mortalitatis.

Pater Suarez, moriens dicebat se mortis imaginem contemplari, & sibi longè pulcherrimam videri.

Catharina Genuensis ita mortē non abhorrebat, vt eam, quibus poterat verborum blanditijs quasi procaretur:

- » mors suavis, mors formosa, mēne er-
- » go vnam delegisti in quam parcendo
- » tam crudeliter desæuies? cæca sis li-
- » cet, videre tamen hæcenus potes,
- » quàm ego te efflictim depeream. Pace
- » tua dixerim, hoc vno peccas grauiter;
- » quærentes te, tuamque operam incla-
- » mantes furda aure præteris; te verò re-
- » mis velisque fugitantes, vsque & vs-
- » que, molesta insequeris, vsquedum as-
- » sequaris.

§. SECVN-

§. SECVNDVS.

Quo modo Amicus fidelis agrum animet ad fortiter ferendos superandosq; morbi dolores.

VT morbi diuturnitate corpusculi vires minuuntur, ita crescunt dolores, languentemque ita miserè interdum discruciant, vt varijs querimonijs impatientem animum prodat: facienda & huic morbo medicina.

Vllane præsentior esse possit eâ quâ nobis præscribit medicus cælestis? *In patientia vestra possidebitis animas vestras. Luc.*

Quasi dicat hæc vna virtus est, quæ 21. vos hîc, & in cælo, compositis passionum fluctibus in tranquillam animarum vestrarum possessionem immittet.

Ad huius virtutis amorem & exercitium, ita nos hortabatur Cyprianus: Sit licet rei familiaris amissio, sit de infestantibus morbis assidua & cruenta membrorum vexatio, sit de vxore, de liberis funebris & tristis auulsio; non sint tibi scandala ista, sed prælia; non debilitent aut frangant Christiani fidem, sed potius ostendant in collu-
 Statione

29 Statione virtutem; cum contemnenda
 29 sit omnis iniuria malorum presentium,
 29 fiducia bonorum futurorum. Confi-
 29 statio in aduersis, probatio est virtu-
 29 tis, sicut scriptum est, vasa figuli pro-
 29 bat fornax, & homines iustos tentatio
Ser. de tribulationis. Hæc & plura in hanc
morta. rem ibidem Cyprianus.

Solet figulus vasa sua primò qui-
 dem, fornacis ignibus committere;
 deinde, an excocta sint, virgula, vel in-
 flexo saltem digito explorare; quod si
 sonum clarum & suauem reddiderint,
 bona; si fuscum aut raucum, mala iu-
 dicat. Ita Deus olim, vas suum ele-
 ctionis Paulum periclitatus est; spi-
 rantem minarum ex equo deiecit,
 terræ affligit, graui cæcitatibus virga
Act. 9. percutit: quid ille, interim? *Domine*
quid me vis facere? Ecquid de sono ve-
 rum vas electionis agnoscitis? Quid
 Iobus à planta pedis, vsque ad verti-
 cem capitis, vlcere pessimo percussus.
Sicut Domino placuit, ita factum est. Sit no-
men Domini benedictum. O sonum omni-
 vocum instrumentorumque musico-
 rum harmonia suauiore!

Non

Non ita Ochozias, Rex Samariæ, qui, cum in morbum incidisset, graui-
terque doleret ex pedibus, ite, ait,
consulite Beelzebub, Deum Accaron,
vtrum viuere possim de infirmitate
hac. Consulite Beelzebub! ô sonum
ingratum nimis & insuauem!

Et Iulianus Apostata, lancea, incer-
tum vnde, transuerberatus: *Vicisti, in-*
quit, Galilae, vicisti.

— *Sonat & illa vitiū percussa, malignè* *Persius*
Respondet viridi non cocta fidelia limo.

Illi nempe, vasa erant in honorem,
in pulcherrimo cælestis aulæ abaco
collocanda: hi verò, vasa in contu-
meliam, breui infringenda, & in infer-
næ domus sterquilinum abijcienda:
Tamquam vas figuli confringes eos.

Pf. 2.

Ochoziam imitantur qui, morbis
à Deo percussi, Pythones & Pytho-
nissas consulunt, sibi que nescio qui-
bus præstigijs ac superstitionibus il-
ludipatiuntur, sed caueant ne Ocho-
ziæ, cuius impietatem Apostasiam-
que æmulantur, similem exitum for-
tiantur.

2. Cogitet æger peccata sua pœnas

F

acer-

82 AMICI FIDELIS

Mich. Michea : Iram Domini portabo quia peccavi ei. Vel cum Iobo : Peccavi, & vere deliqui, & vt eram dignus non receperam. Et cum Augustino : Grauius est quod commisi, leuius est quod tolero.

7. 3. Dicat impatientiam non leuare sed aggrauare dolorem, & quod magis faciendum, tollere meritum magnum : quare ergo patiendi necessitatem non conuertit in merendi opportunitatem? Consilium illud est Chrysostomi, vt patiatu æger cum merito, quod nihilo minùs sine merito patiens est.

2. Cor. Vis scire quantum sit patientie meritum? Id quod in presenti est momentaneum & leue tribulationis nostrae, æternæ gloriæ pondus operatur in nobis. Idem apud Rom. 8 Rom. Non sunt condigna passiones huius temporis ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis.

4. Dicat, vnius dieculæ laboribus redimi labores longè grauiores, anni toto tolerandos in purgatorio. Et hoc est quod insinuat Ezechiel : Diem per 4. anno dedi tibi.

Add

Adde hominem, dum hic patitur, non modò luendam in altero sæculo poenam expungere, sed insuper gratiæ nouæ accessionē promereri; post mortem verò, vltices illæ flammæ ita peccati rubiginem excoquunt, vt gratiæ adijciant nihil: ibi enim satispatiendi dumtaxat, & non etiam merendi locus est.

5. Quando foruli siue loculi sacris imaginibus vel statuis capiendis, ædiculæ in modum ædificantur, debent & ipsæ imagines siue statuæ loculamentis suis adaptari; proinde dedolari & perpoliri: audi quo modo: *Tunstonibus, pressuris expoliti lapides suis coaptantur locis per manus artificis, disponuntur permansuri sacris ædificijs.* Vbi ergo doloris aculeos senseris; malleos puta, vel forfices, quibus loco tuo adaptaris. Quid acutas quereris? bene potiùs ominare de loci, quem in cælo occupaturus es, siue magnitudine, siue splendore.

6. Accidit non rarò, vt tunc maximè, Dominus Deus malleorum ictus ingeminet, cùm morti sumus vicino-

res; videt nimirum opifex faberrimus, operi suo deesse aliquid ad perfectionem, ideoque manum extremam adhibet; tunc consilium diuinum, idea sua interuertat? Imitandus est tibi Christus Iesus Seruator noster, qui, ubi horam suam ex æterni Patris voluntate aduenisse comperit; *Vt cognoscat mundus, inquit, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater sic facio.* Surgite, eamus: quoniam bone IESU ad flagella, ad spinas, ad crucem, ad mortem: dictum, factum. Hæc est hora vestra, dixit militibus tortoribus suis; tragædiæ quam occœpistis, luctuosum vt solet, in Caluariæ theatro finem imponite; quando ita Patri meo libitum est, vestris ego non tantum iussis & imperijs, verum etiam nutibus examussim obsequar, vltroque me accommodabo. *Aspice & fac secundum exemplar quod tibi in monte monstratum est.* Vitæ tuæ siue comædia, siue tragædia breui terminanda est, passio tua, vt sic dicam, tamquam vltimus fabulæ actus instat. Adsunt præmissi satellites diuinæ voluntatis executores: quæris

Ioan.
14.

Exod.
25.

quæris quinam illi? catarrhus ille qui fauces inuasit; tussis illa quæ intestina conuellit; febris illa tam ardens quæ vires exedit; aqua illa intercus quæ animam repentinò extinguit; arenosus ille calculus tam crudelis; morborum denique alij, numero plurimi, acerbitate singulares, satellites sunt quibus Deus mandauit de te, nempe vt, tristi licet ministerio suo, passioni siue morti tuæ promouendæ operam nauent.

Mortem, ais, non recusas: cur ergo dolores ministros eius tantoperè auersaris? mortem morbus præcedit, morbum dolor comitatur; morbum doloremque non minus affert naturæ lex atque conditio, quàm ipsam mortem: eum ergo qui siue morbo, siue dolori nimum obluetur, certum est, ait Cicero, naturæ repugnare, *Lib. de quid autem aliud naturæ repugnare, Senect.* quàm cum Dijs (dicamus nos, cum Deo) bellare? Tu ergo, si sapias, dolores tuos Christi doloribus, & mortem tuam morti eius arctissima voluntatum consensione agglutinabis, &

86 A M I C I F I D E L I S
quantumuis myrrhæ & aloës calici
passionis tuæ admisceat, querimonijs
abstinebis. Dicas potiùs:

Bone Iesu da mihi hanc gratiam,
vt in hac qualicumque uisitatione tua,
fructus & prouentus, quem desideras,
consequatur; neque impatientia uel
ingratitude mea impediatur: tuam
spero, manum porriges infirmo mihi,
meque sicut Petrum Apostolum, cum
mergi cœpisset, ex marinis fluctibus,
potenti dextera eripies, ne sub hac cruce
ce labascam & concidam.

§. TERTIVS.

*Quo modo Amicus fidelis ægrum
iuuet in tentationibus
contra fidem.*

Compertum habet (vt est astutissi-
mus) animarum nostrarum iura-
tus hostis, nullis machinis ædificium
quoduis faciliùs dirui posse, quàm si
fundamentum eius labefactetur: eo
enim vel subuerso penitùs, vel graui-
ter conuulso, quidquid tandem fabri-
cæ superstruetur, vel ex tempore pes-
sum

sum eat, vel cum tempore ruinam trahat necessum est. *Ædificij spiritua-* Heb.
lis atque adeò salutis æternæ basis &
fundamentum, fides est, Christiano
homini tam necessaria, vt sine ea fru-
stra salutem speret: Sine fide enim impos- II.
sibile est placere Deo. Idcirco non cessat
 stygius ille Veterator, cuniculos suffo-
 dere, occultasque moliri insidias, qui-
 bus fidem, religionis nostrę fulcimen-
 tum, vel penitus subruat, vel robur
 eius ac firmitatem, aliqua saltem ex
 parte labefactet. Eò ergo machina-
 menta sua omnia dirigit, vt hominem
 à tutissima fidei statione, in periculo-
 sissimum vacillationis pelagus præci-
 pitem agat. Quare perplexas modò
 quæstiones, de animarum immortalitate,
 deque corporum resurrectione obijcit;
 modò de sanctissimæ Trinitatis, de
 Venerabilis Eucharistiæ, arduisque alijs
 orthodoxæ fidei mysterijs; que omnia,
 vel ad diffidentiam, vel ad desperationem
 solitus est detorquere. Vide ergo, quibus
 armis instructus, cum antiquo hoc & multarum
 palmarum gladiatore, in arenam des-

Ephes.
6.

cendas. Egregiam olim D. Paulus, in
 veritatis officina, panopoliam procu-
 dit, cum diceret Ephesijs: *Induite vos
 armaturam Dei, ut possitis stare aduersus
 insidias diaboli.* Profert deinde verita-
 tis cingulum, lorica iustitiæ, calcea-
 menta Euangelica, galeam salutis, &
 gladium spiritus, quod est verbū Dei.
 Sed ego illud armaturæ genus ample-
 ctor in primis, quod & Paulus ceteris
 etiam videri possit præferre; ait enim:
*In omnibus sumentes scutum fidei, in quo
 possitis omnia tela nequissimi ignea extin-
 guere.* Illud, illud est scutum, cui simi-
 le nunquam habuit, nec vidit *Clypei
 Dominus septemplicis Ajax.* Scutum illud
 Christianum pectus constanter obar-
 met; nullum enim telorum genus, cui
 non utiliter opponatur. Hoc sonant
 verba illa: *in omnibus, omnia tela, &c.*

Visus est & D. Petrus armorum sa-
 tis suggestisse, dum contra leonem ru-
 gientem, induendum hoc fidei scutum
 1. Pet. indicauit. *Aduersarius vester Diabolus,*
 5. *inquit, tamquam leo rugiens, circuit que-
 rens quem deuoret, cui resistite fortes in fi-
 de.* Quasi, cum Paulo, diceret omni-
 bus

bus telis nequissimi igneis, non aliud
quàm fidei scutum opponite.

Imitandæ nobis sunt pleræque na-
tiones bellica laude celebriores, quæ
scuti sui, in bellis, haud paullò maio-
rem quàm vitæ rationem habebant.
Lacæna filio in procinctu ad bellum
clypeum sinistrae cùm insereret; *Aut in
hoc*, inquit, *aut cum hoc*: perinde erat
ac si diceret, vel clypeum hunc viuis
referas, vel in hoc mortuus referaris.
In militem Christianum meliùs qua-
drauerit hæc parœmia, vt sensus sit:
vel in fide, vel pro fide constans emo-
rere. Neque Romani è bello reduces,
patrios vnquam lares repetere ausi so-
rent, *reliqta non bene parmula*. Epami-
nondam (quo nascente, nata; quo mo-
riente mortua est gloria Thebanorũ)
cùm ad Mantineam, rustico nescio
quo telo, spærum vocant, lethaliter
vulneratus esset, relatusque in castra,
hoc primùm à circumstantibus scita-
tum ferunt, saluùsne esset clypeus suus:
saluum vt inaudijt, afferri iussit, eum-
que, vt belli socium, victoriarum
triumphorumque consortem exoscu-
latus

latus est. Idem mihi sensu quodam sublimiori, facere visus est D. Paulus cum diceret: *Tempus resolutionis meae instat: bonum certamen certavi: cursum consummaui: fidem seruaui: ideoque reposita est mihi corona iustitiae, &c.* Et suum illud impenetrabile fidei scutum, miles omnis Christianus, in morte exosculabitur; maximè vbi hæc Imperatoris verba lætus audierit: *Euge serue bone & fidelis, intra in gaudium Domini tui. Vel, Fides tua te saluum fecit.*

I. Tim.
6.

Mat.
25.
Mat.

9.

Sit ergo curæ Christiano hoc fidei scutum, neque facilè vtatur alio armorum genere ad nequissimi tela ignea retundenda. Quod si cum dæmone in arenam descendere, & disceptationum telis agere volueris, perijsti miser, perijsti: impar congressus Achilli. Ab hinc senis annorum millibus & eo ampliùs, Stygi meret Veterator ille, ipse vnus, bella plura debellauit quàm ipse videris, vel audieris: pleni sunt inferorum carceres inconsultis hominibus, qui ausu temerario, periculosam cum eo belli aleam experiri voluerunt. Caue ergo, tu, caue id feceris; alioquin

quin retiarium ille aget illicò, teque intricatissimis quæstionum suarum re-
tibus illaqueabit.

*Vna salus, fugere est, fideiq; opponere Lib. 2.
scutum. de Arte*

Narrari poterit quod Bellarminus, bene
ex Petro Barrocio Episcopo Pataui-
no refert de duobus, qui in Theologi-
ca facultate, inter suos facilè principes
erant; quorum vnus, qui prior è viuis
excesserat, alteri superstiti apparuit,
seque ideò damnatum asseruit, quod
imprudens nimis & temerarius cum
dæmone, de fidei dogmatibus dispu-
tasset; à quo varijs captiosarum quæ-
stionum telis appetitus, victus tandem
prostratusque esset; &, vt fidei exors,
ignibus æternis addictus. Alter, alie-
no malo cautior, diuersam agendi cū
dæmone viam iniit: percontanti enim,
quid de Sacrosanctæ Triadis, quid de
incarnati Verbi mysterio crederet; quo
modo in tribus personis eadem nu-
mero esse posset essentia; quonam mo-
do iungi in vnum possent ea inter quæ
nulla esset affinitas, &c. Respondit
compendiariò, credere se quod crede-
bat

92 AMICI FIDELIS

bat Ecclesia: quærenti quid illud esset quod crederet Ecclesia; quod ego, inquit; quid tu porrò? quod Ecclesia: quid Ecclesia? quod ego. Imparatus ab hoc disputandi genere tentator, victus ad Orcum redijt: victor alter & triumphator abiit ad cælum. Monendus æger vt ad hoc exemplar, si necessum est, cum dæmone prælietur.

Quacumque è Stygia, depromet tela pharetra,

Hac vno fidei, bene fido vmbone repellat,

Credo, credo.

Credo quidquid credit Sancta Mater Ecclesia Catholica & Apostolica, cuius caput vnicum, sub Christo, est Pótifex Romanus. Ad hanc veritatis columnam firmiter adhærescat, in hac fidei arce inexpugnabili tutus ac securus acquiescat.

Inuerit si æger fidei professionem coram testibus & assistentibus emisit; & iam nunc reuocauerit si quid fortè per delirium, ei excideret quod fidei Catholicæ puritatem integritatemque minùs saperet.

Petat ab ægro an non insolito gaudio

dio

dio perfundatur, dum in mentem ve-
 nit, ea se via ad cælum contendere,
 quam suis tritam vestigijs Apostoli
 omnes, innumeri Martyres, tot Do-
 ctiores, Confessoresque iam inde à pri-
 mis Ecclesiæ nascentis incunabulis,
 constantissimè retinuerunt? quis ama-
 bo, de eius religionis, aut fidei verita-
 te superesse possit metus aut dubita-
 tio, pro cuius assertionem tot Martyres
 tantùm sanguinis profuderunt? quam-
 que tot signis ac portentis innumeri
 confessores illustrauerunt? Si testimo-
 nium hominum & talium hominum
 non accipimus, testimonium Dei ma-
 ius est: *Hic est filius meus dilectus*, inquit
 Pater æternus, *ipsum audite*: quid ille?
 fidei nostræ articulos prædicari iubet,
 additque: *Qui crediderit & baptizatus* Mar.
fuert saluus erit: qui verò non crediderit, 16.
condemnatur.

Dicat quispiam; Tam intricata sunt
 subinde, tamque sublimia, quæ cre-
 denda fides proponit, ut rationis limi-
 tes omnes prætergredi videantur; adeò
 ut qui fidelis esse velit, videri possit
 desinere esse ratione præditus. Fallere
 mi

mi homo, fallere: non prætergreditur, sed supergreditur rationis limites Catholica fides. Et verò, quid rationi magis consentaneum quàm vt rationem suam Deo suo subijciat homo? In naturalibus ijsquæ plurimis, quæ quotidie oculis nostris obuersantur, turpiter cæcutis ac hallucinatis, & in diuinis non offendas? nusquam incurras?

Ioan. 3. Si terrena dixi vobis, ait Seruator, & non creditis, quomodo si dixero vobis celestia crederis? verum enim verò tantùm abest vt sublimia illa, quæ dicis, intellectu comprehendere iubeamur, vt etiam illa operosius inuestigare prohibeamur. Credere iubeamur, inquit Innocentius, inuestigare

Cap. 3. prohibemur. *Altiora te ne quaeris*, ait Ecclesiasticus, & *altiora te ne scrutatus fueris: sed quæ præcepit tibi Deus illa cogita semper, & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus.* Mirum sanè seruos tumidos & insolentes, audere nisu temerario irrumperè in penetralia diuinorum secretorum; cùm clamet Apostolus: *O altitudo diuitiarum sapientia & scientia*

Rom.
II.

scientia Dei: quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles via eius! Metuendum illud: Qui scrutator est Majestatis, opprimetur à gloria. Talis genij ac ingenij homines nactus hostis antiquus, in extremo vitæ termino exagitat, quæstiunculasque multis tricis implicatas obijcit. Itaque vincula sibi parant sublimium mysteriorum curiosi indagatores, quibus constringantur in supremo vitæ articulo, nectunt funes, catenas fabricant, quibus arctius obuinciantur.

In ijs quæ ad fidem pertinent, consultissimum est B. Petri consilium audire: *Sicut modò geniti infantes rationale, sine dolo, lac concupiscite.* Fidei mysteria lac vocat quod veteri nouoque Testamento, quasi geminis Ecclesiæ vberibus, continetur. Quemadmodum pusio recens natus, maternis vberibus inhiat, apprehensisque inhæret feruidus, sugens auidissimè quod non videt: immò, nescio quo naturæ impulsu, clausis subinde oculis, perinde atque si diceret matri suæ satis se credere, de cuius in se amore non dubitat.

Hoc

I. Pet.

2.

Hoc agat & Christianus, inquit Petrus, claudat intelligentiæ suæ oculos, turgentibusque candidissimo fidei lacte maternis vberibus instet, feruidus iuxta ac securus. An mater, quæ filij vteri sui obliuisci non potest, poterit fallere? & pro nefas! venenū pro lacte propinare? fidat bonitati eius, fidat amori, & quod primò dictū oportuit, Spiritus S. qui illam regit & gubernat, fidat sapientiæ. Sed age, fac posse, quod fieri nullo modo potest, fac, inquam, Matrem tuam Ecclesiam tibi imposuisse; tene ideò damnatum iri existimes? qua fronte Christus iustus iudex damnet te ob fidem habitam sponsæ suæ, cui, ne deneges, æternum anathema interminatur? quanta animæ fidelis securitas, quanta consolatio! cui fas est dicere Deo suo: Domine Deus, si credēdo fidei nostrę articulis deceptus sum, tu me decepisti, tu inquam & Ecclesia sponsa tua mater mea. Felices nos! ait Tertull. quorum fidem vt astrueret Deus Opt. Max. suam ipse (etiam interposito iureiurando) oppigneravit.

Quid

Quid multis ? remediorum præ-
 sentissimum est oratio. Restabat, in-
 quit Augustinus, aliud nihil in tantis
 periculis, quàm vt Diuinam Prouidē-
 tiam lacrymosis & miserabilibus vo-
 cibus, vt mihi opem ferret, deprecarer,
 atque id sedulò faciebam. Itaque cum
 Apostolis clamandum: *Domine adauge*
nobis fidem. Et cum Psalmista: *Illumina*
Domine oculos meos, ne vnquam obdormiam
in morte; ne quando dicat inimicus meus:
præualui aduersus eum. Credo Domine,
adiuua incredulitatem meam. Interdum
 vbi vehementior erit tentatio, clama-
 re poterit: *Domine vim patior: responde*
pro me. *Vade Satana, vade Satana: abre-*
nuncio tibi Satana, & abhæreo tibi Christe.

Luc.
17.
Psf. 12.
Mar. 9
Mat. 4

*Credo quidquid dixit Dei Filius,
 Nihil hoc verbo veritatis verius,
 Fac me tibi semper magis credere.
 In te spem habere, te diligere.*

Credo, spero, amo.

G §. QVARTO

§. QUARTVS.

*Quo modo Amicus fidelis animet
agrum contra diffidentiam.*

Vbi tentator nequissimus, tela sua omnia, licet ignea, fidei clypeo excepta, vel retusa, vel sine ictu esse videt; astu nouo languentem impetit, quemque solitis artibus non potuit in infidelitatem, nouo molimine pertrahere nititur in diffidentiam: diffidentiam autem? immò etiam in desperationem; præsertim si vita eius antea facta fuerit inquinatio, sceleribusque grauioribus contaminata: cuncta enim quæ, vel à puero patrata sunt, in memoriam reuocat, itaque eorum grauitatem exaggerat, vt tristitia metuque horrendo moribundum exanimet; & nisi, Deo bono, Amicus fidelis citò citò suppetias ferat, veniæ spem omnem intercidat.

Adeat ergo celerrimè Amicus fidelis, & primam hanc diffidentie morbo medicinam comparet. Prostat illa in Basilij & Augustini officinis; inde, si volet, emere poterit vel mutuari; ille,

ille, ita ait: Si peccata & magnitudine
 & numero possint definiri, miseratio-
 nes autem Dei, neque magnitudine,
 neque numero possint circumscribi; si-
 ne dubio non est cur desperatio adhi-
 benda sit, sed agnoscenda Dei miseri-
 cordia, & commissa peccata detestan-
 da. Hic, autem, ô homo, quicumque
 illam peccatorum multitudinem at-
 tendis, cur & potentiam cælestis Me-
 dici non attendis? cùm enim Deus ve-
 lit misereri, quia bonus est, & possit
 quia omnipotens, ille contra se diuinæ
 bonitatis ianuam claudit, qui Deum
 sibi misereri aut non velle, aut non
 posse credit; eumque aut bonum aut
 omnipotentem esse diffidit. Quis non
 speret in Deum, qui non tantùm mise-
 ricors & miserator est, sed & ipsa mi-
 sericordia? *Dominus misericordia mea, Ps. 15.*
canit David; cuius hæc suauissima vox
est: Felix qui non habuit animi sui tristitiã
& non excidit spe sua. Eccl. 15.

Dubitanti de sua salute, reuocan-
 da sunt in memoriam, & altè impri-
 menda verba illa Apostoli: *Reconcilia-*
ti sumus Deo per mortem filij eius: quæ
 dili-

11 diligenti mentis trutina, æstimans Au-
 12 gustinus, ita exclamat: Quid miseri-
 13 cordius intelligi potest quàm vt pec-
 14 catori, æternis tormentis damnato,
 15 & vnde se redimat non habenti, Pa-
 16 ter dicat, accipe vnigenitum filium
 17 meum & da pro te: & ipse filius dicat,
 18 tolle me, & redime te. Quid iustius
 19 quàm vt Pater æternus peccatum di-
 20 mittat illi qui pro debito suo offert
 21 pretium, & pretium maius omni debi-
 22 to, quale est pretium sanguinis & mor-
 23 tis Domini?

11 Dicitur magnus ille Albuquerqueus,
 12 cùm in Indica nauigatione, fæda ad-
 13 modum tempestas exorta esset, nihilq;
 14 iam propiùs esset quàm vt naufragium
 15 faceret, puerulum in humeros sustu-
 16 lisse, vt animulæ illius innocentis con-
 17 templatione, Dei iram ad clementiam
 18 ac misericordiam inflecteret, illiusq;
 19 inter se cælumq; oppositu, tamquam
 20 clypei cuiusdam fortissimi, imminen-
 21 tem capiti tempestatem retardaret.
 22 Quidni illum imitaris? ostende Patri
 23 æterno Filium eius pro te flagella-
 24 tum, crucifixum, mortuum, & dic ei:
 25 *Protector*

Protector noster aspice Deus & respice in faciem Christi tui, in quo semper complacitum est tibi, cuius amore & contemplatione miserere mei.

Adhucne de salute restat dubitatio ?

Spera in Deo, & saluaberis. Saluos enim facit sperantes in se; & ideo saluabit, inquit Psalmista, quia sperauerunt in eo. Ps. 36.

Dulcis causa, attamen efficax, attamen irrefragabilis, ait Bernardus, fundata nempe super charitate illius, qui sic dilexit mundum, ut ei filium suum unigenitum daret; ut omnis qui credit & sperat in eo, non moriatur, sed habeat vitam æternam; unde Paulus; *Fortissimum solatium habemus qui confugimus ad tuendam propositam spem, quam, sicut anchoram habemus anima tutam & firmam;* Ioan. 3

qua, nempe anchora, fluctuantis animæ nauiculam medios inter tentationum fluctus titubantem confirmemus. *Nolite itaque amittere confidentiam vestram quæ magnam habet remunerationem.* Heb. 6.

Magnus ille Indiarum Apostolus S. Franciscus Xauerius, id vnum verebatur maximè, ne quando illum de affutura sibi Dei ope caperet diffidentia. Heb. 10.



tia. Solet Deus misericordias suas super nos fiduciæ nostræ in illum mensura remetiri: hinc Propheta Regius; *Fiat misericordia tua Domine super nos: quemadmodum sperauimus in te: id est* (vt Theodoreto placet) secundum spem nostram fiat nobis: siue, spes nostra in te, fit mensura misericordiarum tuarum in nos; & vt quisque in Dei fiducia maximè promouerit, ita maximos suauissimosq; fructus eius experiatur. Prædem habeo Bernardum sermone 32. in Cantica, ubi ait: quatenus in bonis Domini fiduciæ pedem porrexeris, eatenus possidebis.

Superestne tibi alius qui mentem angat, timoris scrupus? Audio. *Multiplicati sunt, ais, qui oderunt me: calcaneum meum, vereor, obseruabunt.* Præsto est Helix ad Elizeum responsio. *Plures nobiscum sunt quàm cum illis.* Præsens in primis aderit, luctantiq; seruulo suo opem feret virago illa generosa, hostibus tuis terribilis vt castrorum acies ordinata. Aderit & Archangelus Michaël princeps à Deo constitutus super

Ps. 32.

Ps. 37.

Ps. 55.

4. Reg.

6.

per omnes animas suscipiendas ; Angelus verò qui te iam inde à primis unguiculis in fidem ac tutelam suam accepit, ita tibi continenter aderit, ut ne latum quidem unguem à latere tuo unquam discedat.

Aderunt & Patroni cœlites, præsertim quos honore cultuque præcipuo deueneratus fueris. Tacco ex Hierarchijs, Ordinibusque Sanctorum innumeros alios, tam de salute nostra sollicitos, quàm de sua iam securos.

Tantummodo confidenter state, dicebatur olim populo Dei, & videbitis auxilium Domini super vos. Idem tibi dictum putata. Audio quid rursus objicias; timere te iudicium illud quod, absque vlla temporis intercapedine, mortem ipsam subsequetur: vbi æqua lance, causarum momenta expendet Iudex ille, in cuius manus incidere horrendum est.

Si malè tibi à Iudice metuis, quare de Aduocato tuo meliùs non ominaris? qui enim Iudex idem & Aduocatus. *Si quis peccauerit, Aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris.*

2. Pa.
tal. 6.
20.

1. Ioa.

2.

Ille est ad dexteram Dei, inquit Paulus, qui etiam interpellat pro nobis: Vllásne de Aduocati talis fidelitate dubitandi locus! Deus qui iustificat, quis est qui condemnet?

Age igitur, & si à Iudicis tribunali vindicias metuis secundum seruitutem; ad propitiatoris, dum adhuc licet, tribunal prouoces, & dubio procul, ab eo vindicias accipies secundum libertatem: ipse enim, factus est nobis iustitia, sanctificatio, & redemptio. Dic fidenter: Domine IESV, pone crucem tuam inter iudicium tuum & animam meam, & saluus ero. Dic cum B. Anselmo: Domine, si puritatem meam mihi ademi, numquid misericordiam tuam peremi? si commisi unde me damnare posses, tu non amisti unde saluare soles; propter te ipsum miserere mei.

Scis quid de Deo Iobus diceret? Etiam si me occiderit, in eo sperabo. Dic tu saltem cum Dauide. Ad te Domine animam meam leuavi, Deus meus in te confido non erubescam: quis enim sperauit in te, & confusus est?

Si consistant aduersum me castra, si exurgat aduersum me praelium, in hoc ego sperabo. Ps. 26.

Si ambulauero in medio vmbrae mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es. Ps. 22.

Tribularer (canit Ecclesia) si nescirem misericordias tuas Domine: tu dixisti, nolo mortem peccatoris, sed vt magis conuertatur & viuat.

Qui Chananæam & Publicanum vocasti ad pœnitentiam, ne despicias clamantem ad te, & in multitudine miserationum tuarum sperantem.

Rex tremenda Majestatis,

Qui saluandos saluas gratis,

Salua me fons pietatis.

Recordare, Iesu pie,

Quod sum causa tuae viae,

Ne me perdas illa die.

Quaerens me, sedisti lassus,

Redemisti, crucem passus,

Tantus labor non sit cassus.

Qui Mariam absoluiisti.

Et latronem exaudiisti,

Mihi quoque spem dedisti.

Preces meae non sunt dignae,

*Sed tu bonus fac benignè,
Ne perenni cremer igne.*

*Inter oues locum præsta,
Et ab hadis me sequestra,
Statuens in parte dextra.*

*Confutatis maledictis,
Flammis acribus addictis,
Voca me cum benedictis.*

*Oro supplex & acclinis,
Cor contritum quasi cinis.
Gere curam mei finis.*

§. QUINTVS.

*Quo modo Amicus fidelis, iuuet
ægrum, ad repellendam vanam
gloriam & præsum-
ptionem.*

Quemadmodum Diuinus Sponsus,
ad animæ nostræ, sponsæ suæ præ-
sentiam, desiderijs ictus fidelibus, anhelat;
ideòque stat, modò ad ostium eius, &
pulsat, vt intret; modò demittit sese
& curiosis oculis introspicit, siue per
fenestras, siue per cancellos, vt eam
vel eminus saltem contempletur: ita
animæ eiusdem procus impudens ac
perfidus

perfidus Cacodemon, plenissimis odij ac inuidentiæ oculis rimatur omnia, quærens non quam amet, sed deuoret. Urbium expugnatores imitatur, primùm enim omnes explorat aditus, ut pereum quem debiliorem minusque munitum repererit, irruptionem pareret: illuc arietes, aggeres, machinasque omnes conuertit: quod si machinis parum proficit, cuniculos abscondit, remque suam agit clanculum: *An dolus an virtus, tali quis in hoste requirat?*

Vidisti superiori paragrapho, leoninam rabiem, vidisti machinas, quibus moribundos in horrendum desperationis barathrum præcipitare conatus sit; vide modò vulpem vaferrimam, villoso caudæ blandientis syrmate blandientem. Bene est: egregium te hactenus fortemque in sufferendis exantlandisque laboribus præbuisse; quid restat, nisi ut lætus, diuinique iudicij securus, ad beatorum quietem palmamque adspires?

Ecquid aduertis lubricos sterni gradus, quibus in superbiæ pinnaculum attractus, lapsu grauiore corruat? ita
nimirum

nimirum assolet quos scelerum pondere deprimere non potest, propria existimationis alis attollit. Quàm enim prona, quàm procliuis sit ad ruinam via illa, non ignorat, vel suo ipsius, vel suorum præiudicio. Quare ad aduersus hoc non leue discrimen munendus est ægrotus.

Quemadmodum aduersus desperationis charybdim, bonum est, ut quo magis Satanas hominem deprimat conscientia scelerum, hoc se magis erigat fiducia diuinę misericordię, ita iam aduersus arrogantię Scyllam, præsens erit remedium, si de se demissimè sentiat, consideratione proprię imbecillitatis.

Valebunt etiam, opinor, ad retundenda vanitatis ac fiducię proprię iacula, quę passim sacris in codicibus reperiuntur ad diuinum timorem altementibus imprimendū; audi quid minetur Ecclesiasticus: *Si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subuertetur domus tua*: fabrica videlicet virtutum in animo tuo ædificata, valido superbix vento concutietur.

Cum

Eccl.
27.

Cum in hunc alterum Ecclesiastici *Eccl. 9.*
 locum incidisset D. Bernardus : *Nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit.*
 Terribilis est, inquit, locus iste, & totius expers quietis : totus inhorruui, si
 quando in eum raptus sum. Quod si
 hæc cogitatio vel sanctissimos viros,
 & quasi columnas in Ecclesia, compulerit ad tremorem, quid nobis faciendum, qui ex multis antea actæ vitæ sceleribus responsum mortis in nobis habemus ?

Quis nostrum dicere audeat cum Paulo : *Nihil mihi conscius sum ?* ut ita *1. Cor. 4.*
 sit, addat tamen cum eodem necessum est, *Sed non in hoc iustificatus sum : alia enim sunt iudicia Dei, alia hominum ; & terribilis est illa Diuina Maiestas in consilijs super filios hominum.* *Ps. 65.*

Quis Iobo sanctissimo, patientia, & vitæ integritate comparandus : dicebat tamen : *Verebar omnia opera mea, Job. 9.*
sciens quod non parceres delinquenti : quare omnia ? an non aliqua saltem bona, quæ Diuinæ Iustitiæ stateram non reformident ? Etiam si habuero aliquid iustum, non respondebo, inquit, sed meum Iudicem deprecatur.

110 AMICI FIDELIS.

deprecabor, quia si iustificare me voluero, &
Iob. 25. *meum condemnabit me: si innocentem ostendero, prauum me comprobabit. Ecce luna non splendet, & stella non sunt mundati conspectu eius: quanto magis homo putredus & filius hominis vermis?*

Quod si igitur, ob constanter fortiterque toleratos morbi dolores vana gloriolæ animam, vel leuis aura afflauerit, dic cum Psalmista: *Verumtamen Deo subiecta esto anima mea: quoniam ab ipso patientia mea.*

Si vrgeat Dæmon, dicatque: Deo quidem, in primis laudem & honorem bonorum operum deberi; in te nihilominus aliquam gloriæ eius partem ideò deriuari, quod gratiæ eius cooperatus sis.

Responde cum Augustino: *Aperuisti mihi oculos lux, & excitasti, & illuminasti me, & vidi quod gloriari non valeat ante te omnis caro, nec iustificetur omnis viuens: quoniam si quid boni est, parui vel magni, donum tuum est, & nostrum non nisi malum est. Et idem, alibi: Multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo:*

nulla

nulla verò facit homo, quæ non facit Deus, vt faciat homo. Quæcumque adsint bona opera, nulla sunt, inquit Gregorius, nisi humilitate condiantur; miranda quippe actio cum elatione, non eleuat sed grauat: qui enim sine humilitate virtutes congregat, quasi in vento puluerem portat vt vnde aliquid habere cernitur, inde deteriorius cæcatur.

Arrogantis est animi, & plus æquo sibi vindicantis, in propria causa agere velle Iudicem. Qui iudicat me Dominus est, inquit Paulus: *Ille, ille constitutus à Deo Patre Iudex vniuersorum.* Act. 10 Minimè ferenda esset eius militis insolentia qui Regis sui iudicium præuenteret, sibi que ante belli finem, coronam ac triumphum decerneret. Perinde facere censendus, qui ante ultimam vitæ periodum, de Carne, de Mundo, de Diabolo victoriæ sibi palmam pollicetur: quamdiu hostis insidias & dolos meditatur, quæ potest esse securitas? Magnus esse vnusquisque studeat, inquit Gregorius, sed tamen aliquo modo magnum se esse nesciat?

nesciat : ne dum sibi magnitudinem
arroganter tribuit, amittat intus quod
Esa. 5. erat ; hinc per Prophetam dicitur : *Et*
qui sapientes estis in oculis vestris, &
coram vobismetipsis prudentes.

Ad detorquenda gloriæ inanis spi-
cula, monendus æger, vt vitæ præte-
ritæ flagitia grauiora, sapiusque itera-
ta, in memoriam reducat, maximè
cùm ignoret an sufficienti ea pæniten-
dine diluerit, debitasque pro eis pec-
nas hæctenus Deo persoluerit. Ita ad
Eccl. 5. monet Ecclesiasticus : *De propitiato pec-*
cato noli esse sine metu.

Cùm multa sint sacris in Codici-
bus, tum duo præsertim loca, mihi
videntur peropportuna, in quibus lu-
ce meridiana clariùs appareat, quàm
nulla sit nobis ratio de operibus no-
stris etiam optimis, gloriandi. Pri-
mum habetur Lucæ 17. Vbi allata
serui parabola, Domino suo gnauiter
in multis ministrantis, ait Christus,
Dominum non habere illi gratiam,
quia nimirum nihil præstitit ad quod
seruitutis, alijsque nominibus non ob-
bligaretur, & tandem ita concludit:

Sic & vos, cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus. Quotusquisque nostrum est, qui ex vero conscientiae mentis dictamine asseuerare audeat, quæ sibi à Deo præcepta erant, examussim præstitisse omnia? ut ita esset, fatendum nihilominus illi esset, iuxta Christi placitum, *Serui inutiles sumus*. Deus bone, si serui inutiles, qui Domini sui mandatis omnibus diligenter obsecuti sunt, quid nobis fiet? tibi inquam, & mihi, nostrique similibus, qui, tantum abest ut Dei leges ac præcepta exactè seruauerimus, ut etiã plurima, neque rarò, neque leuia violauerimus? Si dixerimus quia peccatum non habemus, veritas in nobis non est, ait Ioannes; Iacobus verò: *In multis offendimus omnes*. Quænam igitur vsquam gloriandi materia nobis reliqua facta est? *Væ vita*, etiam laudabili, inquit Augustinus, *si sine misericordia discutias eam*.

Iacob.

3.

Lib. 9.

Conf.

Locum alterum suggerit Isaias: *Facti sumus, inquit, ut immundus omnes nos, & quasi pannus menstruata vniuersæ*

Isa. 64

H

iustitias

114 AMICI FIDELIS
iustitia nostra. I modo, &, si absque a-
nimi, stomachivè nausea potes, de e-
gregia illa mercede, gloriare.

§. SEXTVS.

Quo modo Amicus fidelis, inducere
ægros possit ad eliciendos actus
diuini amoris.

A Ge modò mi Amice, nunc ani-
amis opus: nullo modo commit-
tendum, vt animus simul cum corpo-
re infirmetur: immo ægrotante cor-
pore valere debet animus solito me-
liùs: Nam virtus in infirmitate perficitur,
ait Paulus, & cum infirmor tunc potens
sum. Benè igitur & tu feceris, si vires
exeras, & quàm poteris plurimos fi-
dei, spei & charitatis actus elicias, po-
tissimùm autem charitatis.

Dicamabo, si Dominus Deus à te
modo, quod olim à D. Petro, peteret,
N. amas me? auderésne respondere si-
cut ille, Domine tu scis quia amo te. O ter-
felices, qui sibi tantum de se meritò
habent polliceri! vtinam vel hoc sal-
tem ex vero dicere possim: Domine
tu scis quia desidero te amare.

Quid

Quid est quamobrem tam parum amore Dei nostri inardescimus? in promptu causa est, quia quot, quantif- que nominibus amandus sit, ignora- mus. — *Ignoti nulla cupido.*

Dicere solebat Plato, virtutem, si oculis corporeis cerneretur, mirabi- lem sui amorem animis intuentium excitaturam fuisse: quanto maiorem Deus ipse virtutum excitaret, si vide- retur! si pulchritudo illa, si bonitas, sapientia, maximè autem si charitas illa infinita, qua nos ab æterno, pro- secutus est, si inquam, charitatis illius imago, alicuius è cælitibus, rudi sal- tem peniculo informata, oculis nostris obijceretur, Deus bone! quas faces, quos ignes, quæ amoris incendia exci- taret! amoris huius immensitatē mo- mentis suis, quantum mortali fas, ex- penderat discipulus ille quem dilige- bat Iesus, cùm diceret: *In hoc est cha- I. Io. 4*
ritas, id est, illa demum est charitas, non quasi nos dilexerimus Deum, sed quo- niam ipse prior dilexit nos. Et ne sterilem illam putaremus, fructum subijcit: Et misit filium suum propitiationē pro pec- catis

catis nostris; hinc illa dignissima sequitur illatio: Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos. Non potest amor, & talis præsertim amor, compensari, nisi amore. Amare si piguit, ah! pudeat non saltem redamare. Illationis huius necessitatem, qua erat ingenij perspicacitate, peruidebat Augustinus, cum ita se ipse incusaret: serò te amavi pulchritudo tam antiqua, & tam noua, serò te amavi: væ temporis, quando te non amavi.

Dicebat idem Doctor, vel cæcum esse, vel certè cæcitate percutiendum, qui tantam diuini amoris pulchritudinem non amaret. Aiunt è Turcarum gente, nonnullos interdum, tanto in Mahometem suum amoris æstu ferri, vt si contigerit eos sepulcrum adspicere, quod summæ fælicitati adscribunt, non vereantur oculos sibi eruere, ne quibus tanta fælicitas ominatò obtigisset, vt rem tam diuinam (vt ipsi autumant) aspicerent, cogantur postmodum res viles & abiectas, quales sunt res huius mundi, intueri. Si hoc illi designant in se, tam crudeliter impij;

Tu

Tu saltem in hoc tempore, mentis oculos aperi, quibus tandem videas, quanta tibi incumbat necessitudo diuinam illam bonitatem, sapientiam & amorem redamandi. Id ubi præstiteris, rebus omnibus huius mundi oculos claudas licet, & id vnum studeas cum Iobo, vt ad videndum iam mox seruatorem tuum te compares.

Vt ad amandum Deum tuum accendaris, iam inde vsque à primis vnguiculis vitæ tuæ exordia retexenda sunt; & videbis vix vllum esse temporis momentum, in quo certissima diuini erga te amoris vestigia consignata non sint: vt enim de periculis alijs taceam, quibus eius ope perfunctus es, vbi esset iam anima tua, si te, tali loco, tali occasione & periculo emori contigisset? Est sanè, est vnde cum Hieremia lacrymabundus, imò vero gratulabundus exclames: *Misericordia Thren. Domini quia non sumus consumpti. Forst. 3. tan & de te scitabatur Zacharias admirabundus: Numquid non iste torris est Zach. erutus de igne? inferni scilicet, in quo 3. culparum æstu ambustus, restabat ni-*

hil nisi vt penarum etiam flammis cō-
 bureris. Et non amabis? redamabis
 inquam, illum qui tibi in tali necessi-
 tatis articulo tam opportunè auxilia-
 tus est? Quidni dicas cum Bonauen-
 tura: Vndique me circundat amor, &
 nescio quid sit amor; quo modo non
 sum totus conuersus in amorem tuū?
 Quid ni etiam cum Psalmographo:
 Tibi dixit cor meū: exquisiuit te facies mea,
 faciem tuam Domine requiram. Quidni
 iterum cum Augustino: Amo te Do-
 mine, & si parum est istud, amem te
 validiūs. O ignis qui semper ardes, &
 nunquam extingueris: ô amor qui
 semper ferues, & nunquam tepescis,
 accendar totus abs te, vt totus dili-
 gam te.

*Alia Orationes pro obtinenda
 Charitate.*

Domine IESV, tu dixisti: Diliges
 Dominum Deum tuum, ex toto cor-
 de tuo, ex tota anima tua, & ex tota
 mente tua, & ex totis viribus tuis: au-
 ge ergo gratiam tuā, auge charitatem
 in me, vt sicut tu vis diligi à me, &
 ego cupio diligere te, sic ego te dili-
 gam:

gam: & quod in hac vita perfecte implere non possum, in æterna, te concedente, implere valeam.

Domine Iesu Christe, qui perpetua charitate dilexisti me, qua, cum non essem, creasti me, qua, cum perditus essem, reparasti me: qua, cum propria culpa toties periissem, ad gratiæ vitam resuscitasti me: qua, te ipsum dedisti mihi: si me totum toties debeo pro me, quid debeo tibi pro te, qui in infinitum melior es me? adde hoc beneficijs tuis Deus meus, vt sine modo, & purissimo amore diligam te, nunc & in sempiternum. Mellitissime Iesu, absorbeat melliflua vis amoris tui animum meum ab omnibus quæ extra te sunt, vt omnibus iam planè rebus amore amoris tui moriar, qui amore amoris mei dignatus es mori.

§. SEPTIMVS.

Quo modo inducendus est ager, vt Dei amore, dolores & alia morbi incommoda, perferat.

O Re professus es mi Amice, te Deū tuum amare, aut saltem amare velle;

velle; visne iam nosse quo modo amorem illum tuum re ipsa palam testari possis? Audi quid Doctor vnus ex antiquis in hæc Canticorum verba:

Origenes. Ascendam in palmam. Voluntas, inquit, patiendi, probat quia veraciter amat, & tantò est amor altior, quanto ad patiendum paratior. Et Ambrosius lib. de Offic. Vbi, inquit, amor est, querela non est, vbi querela est, amor non est. Ex Anselmi enim sententia: Amori sancto omnia suauia sunt. Vnde illis suauitas? Respondet Bernardus? Cordimentum, inquit, humani generis est amor. Quasi diceret: amorem rebus omnibus quantumuis amaris acerbiter amaroremque omnem abstergere.

Pf. 93. Numquid adhaeret tibi sedes iniquitatis, qui fingis laborem in precepto? Non dura ibi necessitate seruitur, vbi diligitur quod iubetur. Vide ergo Amice mi, quâ te geras in hoc morbo; ad hunc quasi lydium lapidem, amoris tui sinceritatem explora: Vbi amor est, querela non est, vbi querela est, amor non est. Si de eo quereris, non amas; si non quereris, amas: ita enim dolores tuos
suauissimo

suauissimo amoris sapore condiuisti nullum vt doloris sensum expresserint.

Patriarcha Iacob, quatuordecim ipsos annos seruitutem seruiuit, sanè duram, noctu enim, & interdiu, calore geluque, vt apud socerum expostulabat, vrebatur: & tamen videbantur illi pauci dies, præ amoris magnitudine. An ignoras Patrem æternum, Rachelem, cælestem inquam Ierusalem, laboribus tuis sponondisse? & tu si sapias, pulchritudinis illius contemplatione dolores tuos mitigabis, dicesque subinde cum Augustino: *Mater Ierusalem Ciuitas sancta Dei, charissima sponsa Christi, te amat cor meum, pulchritudinem tuam amat cor meum, pulchritudinem tuam nimium desiderat anima mea.*

Augustinus
medit.
c. 25.

Stephano protomartyri, torrentis lapides dulcescebant, vnde illa dulcitusudo? ex illo diuini amoris fauo qui vel ex oculis, posteaquam cælum suspexerat, profiliebat.

Sebastianum fortissimum Christi pugilem, iaculis innumeris oblitum, histricem diceres, vidisti: gaudet ta-

H 5 men,

men, Dei que sui laudes concinuit, quodum? quia diuus amor, vt olim Augustini, sagittis amoris cor eius sagittauerat, sagittarumque aliarum acumina vel retuderat, vel hebetauerat.

Ecce tibi super ardente craticula Tyrannis insultat leuita Christi Laurentius; tamque sensus & doloris expressus est? minimè gentium, sed, quod obseruauit Sanctus Leo, *segnior fuit ignis qui foris vsit, quam qui intus accendit.*

Quando tandem Sanctorum scientiam linguamque ad liscemus? Rubore suffundor, ait Bernardus, cum in mentem venit quo me Deus meus amore persecutus est.

Vbi amor, ibi dolor, dicebat Richardus à Sancto Victore. Aut pati aut mori, dicebat S. Theresia; ac si diceret cum Bonauentura: Sine vulnere, nec volo, nec possum viuere, cum adspicio Deum meum

Iob. 6. pro me vulneratum. Hæc sit mihi consolatio, dicebat patientissimus Iobus, vt affligens me dolore, non parcat.

Augustinus Segala, è Societate Iesv Paduæ, cum siti ardentissima cruciaretur, eamque oblato potu sodales non-

nonnihil temperare cuperent: *Misericordiam*, inquit, & *iudicium cantabo tibi Domine*. Satis diu luxi vbera diuinæ misericordiæ; experiantur peccata mea amarorem iudicij.

O quàm suaue malum cui tantum succedit bonum! clamabat S. Franciscus.

Sancta Clara, Francisco Doctore digna discipula, asseuerabat, ex quo scientiam Sanctorum ab eo didicerat, laborem nullum grauem existimasse; pœnam nullam acerbam, morbum nullum molestum, multos licet triginta annorum decursu experta esset.

Sancta Maria Ogniacensis, quocumque tandem ex morbo laborantibus non tam miserebatur, quàm inuidebat, dicebatque se nullum hactenus tam grauiter affectum reperisse, cuius ipsa dolores & cruciatus ex animo non depoposcisset.

Bonus seruus studet reparare pretium quod pro se persoluit Dominus, inquit Ambrosius, sanguinem soluit Dominus, sanguinem debes. Quid er-

go

Lib. 3.
de virg.

124 AMICI FIDELIS
go quereris? nondum vsque ad san-
guinem restitisti.

SS. Chrysoſtomus & Auguſtinus,
aiunt Chriſtum Dominum descende-
re de Cruce noluiſſe, vt nobis de ſe,
constantis patientiæ exemplum lucu-
lentiffimum exhiberet, cuius contem-
platione & nos in cruce noſtra gene-
roſè moreremur, nec alia atque ipſe
via cælum affectaremus.

CAPVT QVARTVM.

*Actus virtutum ab infirmis ante a-
gonem ſæpiùs excitandi.*

§. PRIMVS.

Actus Contritionis.

Bone Ieſu, dolet mihi ex animo,
quod ego te, Dominum meum &
Deum meum, ſuper omnia diligen-
dum, tam grauiter offenderim. Fir-
miter propono, ſperoque iuuante gra-
tia tua me dehinc ita victurum, vt te
amplius non offendam. Me miſerum!
itáne

itáne cœcus & amens fui, vt volupta-
 tem hanc N. vt vanitatem hanc N.
 amori & honori tuo antepōnerem?
 Parce, ô parce mihi benignissime Iesu,
 per pretiosum sanguinem, quem pro
 tam indigno, tam misericorditer pro-
 fundisti. Iterum agnosco, detestor que
 iniquitatem quæ me tot malorum ca-
 lamitatumque reum constituit. Absit
 tamen, vt ex illo fonte meus proma-
 net dolor. Volo, Deus meus, volo vt
 tu vnus mei causa sis doloris. Doleo,
 non quia peccando miser & miserabi-
 lis factus sum; sed ideò maximè quia
 peccando offendi te Deum ac Redem-
 ptorem meum æterno amore & hono-
 re dignissimum. Cooperiat ergo con-
 fusio faciem meam; stringat dolor,
 frangat morbus, perimat mors: deni-
 que quam voles pœnam exige, dum-
 modò misericordiam tuam non aufe-
 ras à me. Quia verò tot sceleribus
 eluendis vnus ego sufficere nequeo,
 patere, obsecro, vt quod mihi deest de
 sufficientia satisfactionis, hauriam de
 vulneribus mei Saluatoris. Bone
 Iesu,

Quæ-

*Quaerens me, sedisti lassus,
Redemisti crucem passus,
Tantus labor non sit cassus.*

Multi versus Psalmi quinquagesimi,
apti erunt ad dolorem eliciendum,
Miserere mei Deus, &c.

Aliter.

O bone IESU, Ô Deus cordis mei!
propter te ipsum qui infinitè bonus es,
amo te super omnia: cur igitur te toties,
tamque graviter offendi? disrum-
pere anima mea ingenti dolore. Pœ-
nitet ah Deus meus, & detestor pec-
cata hæc mea, statuoque me emenda-
re, & satisfacere; idque purè ex amore
quo feror in te super omnia. Parce
mihi Domine, & serua in posterum
per merita tua, & inexhaustam boni-
tatem tuam Ô Deus meus & omnia.
Amen.

Breviùs per modum recollectionis.

O Deus meus, doleo ex animo de
omnibus peccatis meis; idque maximè,
quia Diuinæ tuæ displicent Majestati.

Aliter.

Deus meus ob amorem tui, boni-
tatisque tuæ infinitæ quam amo super
omnia,

omnia, & quia peccatum summoperè
tibi displicet, pœnitet me ex toto cor-
de peccatorum meorum omnium, eo-
rumdemque à te veniam supplex pre-
cor cum proposito confessionis & e-
mendationis.

*Actus Fidei, Spei, &
Charitatis.*

Summe Deus credo & spero in te,
amoque te super omnia, & propter te,
quantum possum; sed & me pariter
pœnitet quod te summum bonum of-
fenderim: denique peto à te veniam
cum proposito confessionis ac emen-
dationis.

Aliter.

Domine Iesu Christe, credo quod
Deus meus & Redemptor meus es.
Credo quod pro salute mea de Virgi-
ne nasci, & in cruce mori dignatus es.
Credo quidquid per Sanctam Catho-
licam Ecclesiam mihi credendū pro-
ponis, & in hac fide protestor me vi-
vere velle & mori, Domine IESU,
doleo quod summam bonitatem tuā
offenderim, & doleo quod non magis
doleam de tot offensis contra te Crea-
torem

torem

torem & Redemptorem meum ingratiſſimè perpetratis; peto humiliter peccata omnia mihi condonari per ſanguinem tuum; firmiter ab eis abſtinere, & vitam emendare propono, ſi vixero. Atque ſi quid oblitus ſim, vel non agnoſcam quo tuam Maieſtatem offendi, de eo illuminari cupio & poenitere, interim de omnibus veniam peto.

Omnibus qui me vnquam offenderunt, libenter & ex animo propter te mi Deus, offenſas omnes dimitto, & ſi quem offendi ego, precor etiam mihi veniam dari.

Si quid alienorūm eſt bonorum apud me, quantum teneor & facultates meæ ſe extendunt, volo ſatisfacere omnibus.

Spero in tua diuina miſericordia, & in ſanguine cum tanta charitate pro me fuſo quod me licet indignum ſaluum facies, & adimplebis me lætitiâ cum vultu tuo, quod vt facias, per ſanc-
tâ mortem tuam te precor.

Corroborâ me Domine Ieſu contra omnes Satanæ inſultus, & ſcutum miſe-

misericiordiæ protege me, quoniam in bonitatis tuæ præsidio tota est reposita spes & fiducia mea. Nihil quidem meritorū quod allegem apud te, malorum heu! nimis multum video, sed per tuam misericordiam confido me saluandū. Ita in pace in idipsum dormiam & requiescam, quoniam tu Domine singulariter in spe cōstituiisti me: tibi laus & gloria in sæcula. Amen.

§. SECVNDVS.

Affectus Resignationis.

IN manibus tuis, Domine Iesu, sortes *Ps. 30.*
 mea: Valetudo, inquam, infirmitas, mors & vita. Da mihi facere voluntatem tuam, quia Deus meus es tu; Méne vis mori? moriar & lubens moriar, quoniam sic placitum fuit ante te. *Mat.*
 Moriar autem, non quando volam ego, *II.*
 sed quando tu; nō vbi volam ego, sed vbi tu; non sicut ego volam, sed sicut tu. Visne bone Iesu, vt hoc anno moriar? hoc mense? hac die? hac hora? hoc momento? ita fiat si quidem sic placitum sit ante te: an lenta morte, an inopina, maturane an acerba,
 I perinde

perinde est; dummodo sic placitum sit ante te: qualis, qualis tandem futurus est, dummodo in Domino, id est, in gratia tua obeatur, omnibus illam antepono; neque eam, si detur optio, cum alia siue longiore, siue suauiore commutauero; idque, *quoniam sic placitum fuit ante te.* Iudicia & consilia tua super me, non tantum vereor, sed & veneror plurimum, in ijsque haud repugnanter acquiesco. Quid ni mortis legibus vltro me accommodem, quibus iam inde à primo conceptionis suę momento Seruator meus, mei gratia se accommodauit? quidni illius amore moriar qui mei amore dignatus est mori? Pudeat nos mortem timere, cum Dominus noster propter nos, mori voluerit, inquit Laurentius Iustinianus. Multis nominibus reus sum ego læsæ Diuinæ majestatis; culpam agnosco, nec pœnam deprecor, paratus illam morte luere coram Angelis & hominibus; vt quem vitæ licentia offendit, mortis obedientia placare possit. Teque ideò, Pater misericordiarum, quàm possum enixè rogo,

rogo, vt benedicas coronæ vitæ, annorumque meorum, vt tandem mori me contingat, sicut ab æterno placitum fuit ante te.

Oratio moribundi ad Patrem æternum, vt Christi in Cruce morientis contemplatione sibi ignoscat, mortemque felicem indulgeat.

EIa Sancte Pater, sim, obsecro, de numero eorum pro quibus dilectus Filius tuus se ipse sanctificauit, per sanctitatem eius sanctifica me in hac hora; perque verba illa quibus in Cruce tibi supplex factus est: *Pater dimitte illis*: dimitte mihi peccata omnia, quibus toto vitæ decursu Majestatem tuam ad iracundiam prouocaui. Ardentissima illa sitis diuini tui honoris, atque adeò salutis animæ meæ, quam expressit, cum diceret, *sitio*, excuset teporem, frigus ac gelu pectoris mei, nouumque excitet amoris incendium, quo totus inardescam. Per has verò voces quibus moriens spiritum suum in manus tuas commendauit, animulam meam in egressu suo è

Ioan.

17.

Luc.

21.

corpore, habe, obsecro commenda-
tam: *A resistentibus dextera tua, custodi il-
lam vt pupillam oculi tui, & sub vmbra ala-
rum tuarum protege illam à facie impiorum.*

Dixit ille, *Consummatum est*, quando
nempe vidit se, quæ ei mandaueras,
examussim adimpleuisse omnia: uti-
nam ita mandatis tuis omnibus obse-
cutus sim, vt ad hoc exemplar, cum
Paulo dicere liceat; *Tempus resolutionis*

1. Tim. *mea instat; bonum certamen certavi, cursum*
4. *consummaui, fidem seruaui: verum enim-
vero seruus erat ille bonus & fidelis;
ego seruus nequam & otiosus, qui
nonnulla quidem subinde, occæpi nõ
omnino malè, sed ad consummatio-
nem non perduxì: suppleat obsecro,
perfectio Domini imperfectum serui
sui: quia apud Dominum misericordia, &
copiosa apud eum redemptio. Quidquid
labis sordiumque animæ adhuc adhæ-
rescit, eluat aqua illa quam è perfosso
Seruatoris nostri latere depromptit
crudelis lancea, crudelis autem? im-
mo verò vel hoc nomine veneranda,
quod abiturienti animæ meę tam sua-
ue hospitium in petra excavauerit.*

O Deus, absconde me in hoc tabernaculo; in die malorum protege me in abscondito tabernaculi huius. Pater æterne Christus Iesus, qui tibi in diebus carnis suæ preces & supplicationes cum clamore valido, lacrymisq; obtulit, vt eum saluum faceres à morte, pro sua reuerentia exauditus est; at tamen nihilominus mortuus est: quomodo mortuus si rogans ne moreretur pro sua reuerentia exauditus? nimirum non pro se, qui morti nihil deberet, sed pro me mortis filio deprecatus est, ne morerer morte secunda, quæ est pessima. Ita Pater quoniã sic placitum est ante te, cum esset ille Filius Dei, didicit ex ijs quæ passus est obedientiam, & consummatus factus est omnibus obsequentiis sibi causa salutis æternæ; ne quæso, ne patiaris vni mihi fontem illum salutis æternæ clausum esse; hauriam & ego salutes aquas in gaudio, de fontibus Saluatoris. Ah! bone Iesu (ad te enim mea conuertetur, & in te desinet oratio) pone, quæso, mortem & passionem tuam, inter iudicium tuum & animam meam, quæ, quod pro se dehinc ad æquissimam iustitiæ tuæ sta-

Heb. 5.

134 AMICI FIDELIS

teram afferat, habe nihil, nisi ius illud quod in pretiosi sanguinis mortisque tuæ pretium, sibi vindicant peccatores, quorum primus ego sum. Sanguis tuus super me, & super animam meam; in salutem dico, & non in damnationem; clamet pro me, & non contra me sanguis ille, cuius pretio emptus est ager figuli in sepulturam peregrinorū.

Pf. 38.

Uena enim ego sum, & peregrinus, sicut omnes Patres mei: ne igitur tam optatā, tam opportunā priuer hæreditate. Da obsecro, vt ex ista domo pulueris egressa anima, in sacratissimo cordis tui agro, lanceæ crudelis proscisso vomere, desideratissima illa peregrinantium in Ierusalem sepultura, in pace, inquam, in idipsum, dormiat & requiescat. Amen.

Pf. 4.

Iterum admoneo, Amice Lector, quæ hic & alibi, moribundis, siue documenta siue affectus suggerimus, diu ante mortis periculum & sæpè, legi debere: tunc enim maximè proderunt moribundis, si diligenter lecta & expensa fuerint à sanis.

6. TER

§. TERTIVS.

De cereo accenso, & Christi crucifixi imagine: quorum ille, moribundo tradi solet in manum: hæc, ostendi.

CVM æger ad extrema properat, cereus accensus datur ei in manus, quasi vitæ lampada alteri iam iam tradituro; & vt eo ritu, testetur se esse è numero eorum qui Christi Domini voci obedire volunt, dicentis: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris, & vos similes hominibus expectantibus Dominum suum quando reuertatur à nuptijs: vt, cum venerit, & pulsauerit, confestim aperiant ei. Beati serui illi, quos cum venerit Dominus, inuenerit vigilantes.* Luc.
12.

Dicat Amicus fidelis moribundo: *Ecce sponsus venit, exeundum est obviam; sed ante, ardentem hunc cereum accipe, quo significes, ei te, in claritate & lumine fidei (quæ per huius cerei flammam designatur) velle viuere & mori.*

Imitandus hîc Sacerdos quidam
 sanctitatis laude eximius, Consalvus
 Mederius (cuius in suo prodromo
 meminit Drexelius) qui paullò ante
 excessum, accitis socijs, sacrum cereum
 accendi iubet; & recitato symbolo A-
 postolorum, in hac, inquit, fide insti-
 tutus sum, in hac vixi, in hac morior;
 testorque, si quid fortè in extremo a-
 gone contrarium excidat mihi, iam
 nunc indictum & irritum velle. Deinde,
 porrecto brachio, cereoque manu ap-
 prehenso: vt lumen hoc, inquit, ocu-
 los illuminat corporis, sic credo Do-
 minum Iesum illuminare omnem ho-
 minem venientem in hunc mundum;
 quia ipse lumen verum & æternum
 est. Imitetur, inquã, Consaluum mo-
 ribundus, addatque cum Propheta:
*Illumina Domine oculos meos, lumine vere
 fidei ne vnquam obdormiã in morte, nec ubi
 à recto fidei tramite deuiem; nequando
 dicat inimicus meus præualui aduersus eum.*
 Sed potiùs, fidei scuto validissimo,
 omnia nequissimi tela ignea excipiam;
 & in caput eius illæsus retorqueam,
Mat. 4 dicens: *Vade Satana: abrenuntio tibi Sa-
 tana,*

*ana, & adhaere tibi Christe Iesu, Deo meo.
Credo quidquid dixit Dei filius verbo veri-
tatis nihil verius. Credo Domine Iesu,
credo, adiuua incredulitatem meam.*

Non est expectanda hora vltima vt hoc ab ægro præstetur: poterit enim ab eo sapiùs & à sanis interdum vtiliter cæremonia illa vsurpari: nescis enim, quisquis es, an non hac ipsa luce, lux tua tibi subtrahatur & extinguitur. Vide ne olei egens, cum fatuis virginibus cælo excludaris: concubia nocte venientem sponsum peruigil expecta, lumbos præcinge, bonorù operum lucentem facem intraturo præluce; quidquid morbi laborum dolorumque superest patienter sustine, ad aule nuptialis limen perdius & pernox accensa lampade, constanter excuba, vt ingredientẽ sponsum subsequaris. *Beati enim, qui ad cenam nuptiarum agni vocati sunt; beatiores, quos cum venerit, Dominus inuenerit vigilantes.*

Apoe.

19.

Luc. 12

I 5 §. QVAR-

§. QUARTVS.

*De Christi in Cruce fixi imagine,
moribundis ostendenda.*

Momentum plurimum ad exprimendos ab ægro fidei, spei, caritatis, aliarumque virtutum actus, in salutaris crucis exhibitione situm esse existimo; si nempe Amicus fidelis, Christi in ea pendentis membra, singillatim, quasi locos Rhetoricos excutiat, quique lateant in singulis pietatis sensus, quasi diuini mellis latices, composita ad pietatem oratione, eliciat,

Deut. ita olim, Hebræi sugebant mel de petra, oleum de saxo durissimo. *Petra*

1. Cor. autem erat Christus.

10. Intuere, carissime frater. Entibi completam de Seruatore tuo Prophe-

Mich. tiam: Vadam nudus & spoliatus.

Apostrophe ad Bone Iesu, qui non tantum homines, sed & lilia agri sic vestis, quo modo sic nudaris, quasi si nudetur vnus

Christum nudum. de scurris. Ecce quam gloriosus hodie Rex Israëli. Ita nempe nudatus es, vt nuditate tua, vestium nostrarum luxum castigares: imo, vt tecum nudi
in

in crucem ascendamus, id est procul ab omnibus terrenis affectibus: quid enim sunt terrena omnia nisi quædam corporis indumenta? Greg. qui contra diabolum ad certamen properat, vestimenta abijciat ne succumbat, id est, extremum hoc cum diabolo certamen initurus, omni se rerum terrenarum affectu exuat, dicatque cum D. Paulo: *Mihi absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi: per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Ad Galatas 6.

Bone Iesu, nonne tu ille es qui ap-
pendis tribus digitis molem terræ, &
libras in pondere montes, & colles in
statera? quo modo tribus clavis ap-
pensus es & libratus, in ponderosa hac
crucis statera? voluisti scilicet, vt quos
inuitas ad crucem post te ferendam, in
ea tecum, fidei, spei & caritatis acti-
bus, quasi tribus clavis, affigantur,
constanterque perseuerent. Aut certè
voluisti vt fideles tui (quod Petrus in
monte Thabor præcoci studio am-
biebat) in monte Caluariæ, tria figant
tabernacula: memoriæ vnum, quæ
iugiter

*Apostro-
phe ad
Christū
clavis
confi-
xum.*

Luc. 9.

ingiter de Passionis tuæ doloribus recordetur. Intelligentiæ alterum, vbi de ijs continenter meditetur: Voluntati tertium, vbi actionum, desideriorumque suorum quasi pullos reponat, vt parentis sui, pij Pelicani sanguine saginentur.

Intuere carissime frater; nonne ille est Deus tuus, qui fecit & creauit te? Deus ille magnus, sub quo curuantur qui portant orbem? quomodo igitur

Pf. 37. sic incuruatur? *quoniam iniquitates tue, inquit, supergressæ sunt super caput meum, & sicut onus graue, grauata sunt super me.*

Affe- Nonne doles ex animo, te Domino
ctus do- Deo tuo causam fuisse tanti doloris?
loris. Dic ergo cum Prodigio; *Pater peccauit*

Luc. 15 *in calum & coram te, iam non sum dignus*
Luc. 18 *vocari filius tuus. Dic cum Publicano;*

Deus propitius esto mihi peccatori, Domine
Pf. 24. *Iesu propitiare peccato meo, multum est enim. Ah! cur te offendi! ô qui te nunquam offendisset!*

Hier. 9 *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, vt peccatorum meorum grauitatem deplem, ingra-*
titu-

titudinisque neuos ac maculas omnes
 emaculem ? ô peccatum ! ô Dei mei
 labor & dolor ! ô peccatum, ô animæ
 meæ perniciës & exitium ! vt ego te
 detestor ! vt ego te abominor ! absit
 vt vllum dehinc, etiãsi mille annis
 vixerim, mihi tecum sit cõmercium.
 Moriar bone Iesu, & millies ante mo-
 riar, quàm te rursus offendam. Susci-
 pe me Iesu crucifixe, inter amorosa il-
 la brachia, quæ pro me in cruce ex-
 tensa video, & amplector. Suscipe me
 inter desiderabiles amplexus tuos, &
 trahè ad te animam meam. Suscipe me
 bone Iesu, in misericordia tua, & non
 confundas me ab expectatione mea ;
 Suscipe in pace spiritum meum.

Carissime frater aspice Deum tuum, *Cur*
 en caput ad te inclinat, nempe vt tibi *caput*
 figat amoris osculum, tibi quæ hæc in *incli-*
 cordis aurem instillet: Philippe, Iaco- *nati.*
 be, &c. amore amoris tui morior : ne
 ergo mori recuses amore amoris mei.
 Dic tu illi : Da bone Iesu, vt nunc sal-
 tem, amore amoris tui moriar, qui a-
 more amoris mei, dignatus es mori.

Fortasse etiã, ideò te versus caput
 incli-

Luc. 23 inclinat, vt tibi dicat quod bono La-
troni: *Hodie mecum eris in paradiso.* Dic
ergo illi:

Domine, memento mei quia veni-
sti iam in regnum tuum. Et quia iam
es in regno tuo, me in hoc exilio ge-
mentem respice, & hinc abeuntem, in
regnum tuum admitte. Hoc ego te ro-
go, bone Iesu, per sacratissimum hoc
caput pungentibus spinis obsitum; per
crucem pretioso rubentem sanguine,
per apertilateris hiantia vulnera; de-
nique per acerbam mortem tuam.

*Cur
exten-
sa bra-
chia.*

Vidésne extensa, affixaque cruci
brachia.

1. Moysen alterum puta, qui, dum
pugnas cum hostibus tuis, oratione sua
victoriam tibi conciliabit. Dicamus
ergo.

Pf. 21.

Eia dulcissime Redemptor, Do-
mine Iesu, per illas lacrymabiles vo-
ces, quas in cruce moriturus edidisti:
Deus, Deus meus quare me dereliquisti? ne
quæso derelinquas me in hora mortis
meæ.

2. Non contentus pacis osculum
præbuisse, vult insuper tibi præbere
am-

amplexum: Amplectere & tu, illum;
& dic cum sponsa: Inueni quem dili-
git anima mea, tenui eum nec dimit-
tam, donec benedixerit mihi, & intro-
ducat me in domum suam.

3. Ideò sursum eleuat brachia, vt
æterno Patri offerat redemptionis tuę
pretium. Quàm pretiosa es anima
mea, quam tanto pretio emit Deus
tuus! quid non cum sanguine & per
sanguinem vnigeniti filij tui donabis
nobis, Ô Pater? *Vox sanguinis fratris
nostri clamat ad te de terra. Audi Pater vo-
cem sanguinis filij tui.*

Gen. 4.

4. Vt omnes clarè videant nihil ef-
se in eo quod amoris caractere non
insigniatur.

Cernitur in toto corpore sculptus amor?
Ecce in manibus & in pedibus, & in
toto corpore tuo descripsisti me bone
Iesu, lege scripturam tuam & salua me.

Ah! quomodo amauit nos Domi-
nus Iesus! ideò amo te mi Iesu, ex to-
to corde meo, & ex tota anima mea.

Ah! cur non te semper amaui bonitas
infinita! serò te amaui bone Iesu, serò
te amaui.

5. Vt

5. Ut te, in amorosa illa brachia
fidenter conijcias. Ne metue, non te
subtrahet vt cadas. Dic ergo illic cum
B. Nicoleta: *Moriar, moriar modo inter
amantissimas Iesu vlnas moriar. Felicitate
cadit, qui in manus Dei cadit.* Et cum B.
Augustino: *Inter brachia Salvatoris mori
& viuere volo, & mori cupio.* Manualis
cap. 23.

*Ad pe-
des.*

Contemplare etiam pedes, quos ad
te demittit; nempe, vt eos cum Mag-
dalena contriti cordis lacrymis irri-
ges, & vt ex ijs discas quo modo tibi
ex hoc mundo ad cælum grassandum
sit.

Non est suavis è solo, in cælum via.
Oportuit Christum pati & ita intrare
in gloriam suam; & tu, velles gratis
intrare in gloriam alienam? dic ergo
cum Bonauent. *Nolo Domine, nolo viuere
sine vulnere; quia te video vulneratum.*

*Cur a-
pertum
latus.*

Quid sibi vult, tam luculentâ pla-
gâ apertum latus? Non poterat intus
contineri diuini amoris flamma: rum-
puntur crates pectoris, vt foras erum-
pat: præterea

2. Voluit amor ostendere se cau-
sam

sam esse omnium quę Christus fecit & passus est.

3. Ut ex illa septuplum quàm consuevit succensa amoris fornace, ardentibus sagittis continenter transfigaris.

Denique, ut in nidulo illo, si voles, placidissimè obdormias. Audi Bernardum. *Aperta est nobis vltro vrbs illa refugij, sinus matris expansus est, parata sunt foramina petra, patent viscera misericordia Dei nostri: hoc refugium qui declinat, nihil mirum si effugere non mereatur. Ingredere in petram, ait Propheta, & abscondere in fossa humo à facie timoris Domini. Isaia 2.*

Quis mihi hoc tribuat, ut, non in inferno, sed in latere tuo abscondas me Domine donec transeat furor tuus?

Hos, vel similes, affectus conabitur excitare in moribundis Amicus fidelis, vel prolata Christi de cruce pendens imagine, vel alia data acceptave occasione.

K CAPVT

CAPVT QVINTVM.

*Quo modo se gerat Amicus fidelis,
cùm æger agit animam?*

QVando æger vi morbi, eò redactus erit vt animam agere videatur; si quid illi Amicus fidelis suggerendum iudicauerit, faciat id paucis, tractim, articulatè & interruptè, quod ijs perpendendis otium aliquod ægro permittatur.

Reperire est interdum, aliquos, qui miseros agonizantes longis ac molestis sermonibus angant, ac desolent potius, quàm subleuent ac consolentur, concionatores crederes, ita Rhetoricos locos omnes percurrunt sacra Scripturæ ac Patrum testimonijs, verborumque flosculis exornant: næ, ea intempestiua & concionandi ratio. Crediderim moribundos multos esse, quibus permolestè accidunt eiusmodi consolationes, quiq; si possent, cum

Iob. 16 Iobo dicerent: Consolatores, onerosi vos estis.

estis. Noui ego, sed puer virum appri-
mè doctum, qui cùm luctaretur iam
cum morte, visitatus est à nescio quo,
qui eiusmodi cōcionatoris partes obi-
bat; sed vultu primò, contractiore ab
ægro, vt desisteret, quasi admonitus
est. Cùm verò declamandi finem non
faceret, victa scilicet moribundi pa-
tientia est; quare collectis, quoad po-
tuit affecti corpusculi viribus, diutur-
num silentium abrumpens: Obtun-
dis, inquit, obtundis. Et ad circum-
stantes conuersus: Apagete amabò,
importunum hunc Concionatorem.

Clamosas illas, operosasque, siue
exhortationes siue declamationes, hoc
dilemmate concludo superuacaneas
esse. Vel intelligit moribundus, quæ
dicis, vel non intelligit: si intelligit,
nil opus tanto clamore: si non intelli-
git, multo minùs; imò si intelligit, si-
natur auscultare vocem Domini Dei
sui, hora illa, diuiniore susurro ani-
mas ad se inuitantis. Quòd si vere are-
ne diuino semini inimicus homo, ca-
codæmon inquam, superseminet zi-
zania; accede & tu, per me licet; euel-
le,

le, si potes, sed cum ea moderatione, ut non officiat & tritico.

Breues aliquas oratiunculas siue sententiolas è sacra Scriptura, vel ex Sanctis Patribus ad manum habe, quas subinde, moribundo, in aurem instilles: sed modo superius indicato, id est, piè, tractim, articulatè & interruptè, siue per interualla, ut ne defatigetur æger, ei que ruminandi otium concedatur.

Lubet è Rituali Romano, orationes moribundo suggerendas mutuari, ut discant quàm longè aberrent à scopo, qui mortuis interdum, aut certè iam mox morituris tam operosè concionantur. Cùm tempus, inquit expirandi institerit, ipse moriens, si potest, dicat; vel si non potest, assistens, siue Sacerdos pro eo clara voce pronuntiet: Iesu, Iesu, Iesu. Quod, & quæ sequuntur, ad illius aures, si videbitur, etiam repetat.

In manus tuas Domine commendo spiritum meum.

Domine Iesu Christe, suscipe spiritum meum.

Sancta

Sancta Maria, ora pro me.

Maria Mater gratiæ. mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe. *Ita Rit. Rom. p. 140.*

His ego nonnullas parte secunda annectam.

Vnum addo quod prius dici oportuit; moneat ægrum Amicus fidelis, vt quando vox illum destituerit signo aliquo, verbi gratia, capitis nutu, vel manus compressione, sibi indicet an iterum desideret sacramentaliter absolui.

CAPVT SEXTVM.

§. PRIMVS.

Quenam mortuo præstanda sint ab Amico fideli.

POSTquam moribundus expirauerit, orationesque funebres recitatae fuerint, Amicus fidelis defuncti animam parentibus, circumstantibusque sedulo commendabit; dicet autem nullo modo defunctum efficacius ab eis iuari posse, quam si purgata statim

per confessionem conscientia ad communionem religiosè accedant, eique cõmunionis suæ fructum aliquem, per modum suffragij, impertiant. Et ne nihil è domo luctus assistentes domum suam reportent; intelligant ex Amico fideli quàm consultum sit per rectam vitæ innocentis viam ad bonam ac felicem mortem ambulare vitæ verò innocentiam acquiri conservarique per Sacramentorum pœnitentiæ & Eucharistiæ frequentationem.

2. Quàm iuuet ad solatium animæque tranquillitatem in morte obtinendam, de totius vitæ noxis generaliter aliquando confessum esse, eaque tempestivè nomina deleuisse, quibus, siue ad famæ, siue ad bonorum restitutionem obligamur.

3. Benè expendat Amicus fidelis, coram assistentibus, quàm pretiosum sit tempus quod ad salutem nostram operandam Diuinum nobis Numen concedit. Dicat nos versari in hoc sæculo sicut mercatores in nundinis, quarum tempus cùm præterierit, negotiari frustrà desideres.

Fronte

Fronte capillata ; post est occasio calua.

4. Dicat vitam hanc esse quasi auri-
fodinam thesaurumque passim expo-
situm vnde sibi omnes, exiguo admo-
dum labore, eruere possint diuitias
æternùm duraturas. Quidni ergo iux-
ta Apostoli monitum, eiusmodi bo-
nis comparandis insudamus ? *Bonum,*
inquit, facientes non deficiamus ; tempore Gal. 5.
enim suo metemus, non deficientes.

5. Scitari poterit, satisne videant
quanta sit voluptatum, diuitiarum,
honorum, rerumque omnium terre-
narum vanitas, quæ tam miserum ac
infelicem sortiuntur exitum. Quid tã-
dem hinc ex ijs asportamus ? linteo-
lum vnum, infami luto ac sanie, iam
iam fædandum, & à vermibus corro-
dendum. *Subter te sternetur tinea, inquit Isa. 14*
Propheta, & operimentum tuum erunt
vermes.

6. E contrario virtutum bono-
rumque operum fructus erunt suauis-
simi ; neque modò in hac, sed & in fu-
tura illa ac beata vita perennabunt,
iuxta illud Ioannis: *Audiui vocem de cæ-* *Apoc.*
lo dicentem mihi, scribe, beati mortui qui in *14.*

Domino moriuntur : amodo iam dicit spiritus vt requiescant à laboribus suis : opera enim illorum sequuntur illos ; ad gloriam , nempe , perpetuamque felicitatem.

7. Cùm mors sit tam certa , hora verò tam incerta ; petat à circumstantibus, quomodo audeamus nobis longam vitam polliceri, & ea spe decepti, vitæ melioris curam studiumque deponere? bene profectò, vt omnia, Diuus Hieronymus: Indignus est nomine Christiani, qui in eo statu vult vivere, in quo nollet mori. Proinde, se quisque examinet, videatque diligenter, ecquid sit in interiori animæ domo, quod abesse vellet, si mors ipsa iam pro foribus staret : Erit Epilogi instar, verum istud ac salutare Philosophorum pronunciatum.

§. SECVNDVS.

*Sapè de morte ante mortem
meditandum.*

Videtur optimo Dei, naturæque consilio factum esse, vt homo, quotidie,

quotidie, velit nolit, quodammodo cogatur mortis suæ meminisse, cuius imaginem ante se continenter expressam habet. Dic amabo, mi homo, quid est somnus, cui quotidie libenter iuxta ac liberaliter indulges? nonne imago mortis? caue neges, ne tibi stulti nomen accersas: quid lectus, ubi, quasi in tumulo absconderis? nonne imago tui sepulchri? quid stragula, quibus, cadaueris instar, obuolueris? nonne prænuncia sunt linteoli tui feralis?

Accedat ergo homo ad cor altum, & Ps. 61.
quod ruditer natura præfiguratur, altiori mentis indagine perscrutetur.

Sedebit solitarius, inquit Propheta, & Thren.
eleuabit se super se. Non aberit pre- 3.

tium operæ: nam si fabricando fabrici fimus, hoc, ut spero, meditando sæpè de morte consequemur, ut cum seriò obeunda aduenerit, peritè magis ac salutariter obeatur. *Semper morere, inquit ille, ut mortuus semper uiuas. Faciebat id D. Paulus, vnde ad Corinthios. Quotidie mor-* 1. Cor.
rior. 15.

Et nos, quibus incumbit semel dūtaxat reapse mori, moriamur sæpius, imaginatione, id est, mortem nobis quasi præsentem constituamus; & quomodo excipienda obeunda que sit, sedula mentis cogitatione pertractemus. Indignabatur olim Hieronymus, vndique magistros accersiri, à quibus, omnes ferè artes addiscerentur, doctrinam verò Christianam, ita passim ab omnibus negligi, vt de magistris consulendis ne cogitaretur quidem. Idem queri possit de neglectu Artis bene moriendi, & *hinc illa lacrymæ*; idè scilicet, tam inuisa mors, tamque terribilis existimatur; haud dubiè futura gratior, aut saltem minùs terribilis, si frequenti meditatione magis familiarem illam nobis faceremus.

Haud difficulter artem illam exercemus, cuius experimentis crebrioribus habitum iam nobis comparauimus.

Concedunt in campum qui ad brauium adspirant, ibique equos suos sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum, quaqua versum denique inflectunt,

Etunt, ac gyros mille conficiunt, vt,
vbi in equestri palæstradiu multum-
que proluserint, auratam tandē gem-
mam (quod est equestris decursionis
præmium) faciliùs assequantur.

Ita solent & qui artis cuiusvis speci-
men aliquod singulare edere statuunt,
non ante id faciunt, quàm multis ex-
perimentis in tyrocinio, industriam
suam magistro artis probauerint. Et
nos, priusquam artis bene moriendi
solemne documentum, & quasi pro-
fessionem edamus (*periculosa plenum
opus aleæ*) in præcedentibus experimen-
tis, toto vitæ nostræ tyrocinio utiliter
admodum exercebimur; ita enim fiet
vt bene morientium ius, ac præroga-
tiuum nanciscamur, inque eorum col-
legium ac ordinem, in cælum, inquam,
Deo Agonotheta adlegamur.

Quid porrò restat, nisi vt mortuo
sepultoque Epitaphium componatur?

§. TER-

EPITAPHIVM
HOMINIS CHRISTIANI.

SISTE VIATOR;

Et ad me, Sodes, Descende

In hanc Domum Figuli:

Et scies, si nescis,

QVID SIS, QVID FUTVRVS,

Nam & ego, quod es,

FVI,

Et quod sum

TVERIS.

Ego putredinis filius, & frater

Vermium.

NOMEN *ne quære;*

Euanuit cum vita.

QVID ILLA?

Heu! Vita continenter currit ad
Mortem, etiam inuita.

Ad

Ad Mortem, autem?

imò verò

AD ÆTERNITATEM.

Ah! quàm vellem plus

VIRTUTI,

Minus permissem me

VANITATI.

Nunc istud mihi non nisi optare,

Tibi, etiam præstare licet.

FELICISSIMAE AETERNITATIS

Portum ingredi potes plenis velis,

Si ita velis.

Vt non impingas in scopulū

RESPICE scopum;

Morere, inquam, & sepè morere:

Hoc Vita tua erit probatior, quo in

illa, mors ista crebrior.

EXTREMUM

QVOD TE ALLOQVOR, HOC EST:

Si

158 AMICI FIDELIS
Si sæpè attenderis umbram
OCCIDENTIS TVI,

Pertinges ad veram Lucem

ORIENTIS ÆTERNI.

SED

Væ illis quibus factæ sunt
umbræ longiores
Vesperis;

Hier. 6

Inquit Propheta.

ILLVD VÆ, TV CAVE.

MODVM QVÆRIS?


*Cogita dies antiquos, & annos
aternos in mente habe.*

Pf. 27.

ABI MODO,

Et quod ego tibi æternum
vt gaudeas; Tu mihi reci-
proca prece seriò
adprecare.

Finis primæ Partis.



AMICI FIDELIS

VSQVE AD MORTEM

PARS SECUNDA,

SIVE

ORATIONES ET PRECES

Pro ægris & moribundis
vsurpandæ.

PARAGRAPHVS

PRIMVS.

*Pro recuperanda sanitate recitari
poterunt sequentia.*

Vers. **A** Diutorium nostrum in no-
mine Domini.

Resp. Qui fecit cælum & terram.

Domine exaudi orationem meam.

Et clamor meus ad te veniat.

Dominus vobiscum.

Et cum spiritu tuo.

ORE-

Virtutum cælestium Deus, qui ab humanis corporibus omnem languorem & omnem infirmitatem præcepti tui potestate depellis, adesto propitius famulo tuo, (*famula tua*) vt fugatis infirmitatibus, & viribus receptis, nomen sanctum tuum, instaurata protinus sanitate benedicat. Per eundem Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, qui tecum viuit & regnat.

Iesus Mariæ filius, mundi salus & Dominus, meritis & intercessione Virginis Matris suæ, Apostolorum Petri & Pauli & omnium Sanctorum sit tibi clemens & propitius. Amen.

Vers. Sana me Domine, & sanabor.

Resp. Saluum me fac, & saluus ero.
Dominus vobiscum.

Et cum spiritu tuo.

Sequentia Sancti Euangelij secundum
Marcum.

Gloria tibi Domine.

In illo tempore, recumbentibus vn-
decim Discipulis, apparuit illis Ie-
sus,

sus, & exprobrauit incredulitatem
 eorum & duritiam cordis; quia his
 qui viderant eum resurrexisse, non
 crediderunt. Et dixit eis: Euntes in
 mundum vniuersum prædicate Euan-
 gelium omni creaturæ. Qui credide-
 rit & baptizatus fuerit, saluus erit:
 qui verò non crediderit, condemna-
 bitur. Signa autem eos qui credide-
 rint hæc sequentur: In nomine meo
 dæmonia eijcient: linguis loquentur
 nouis: Serpentes tollent: & si morti-
 ferum quid biberint, non eis nocebit:
 super ægros manus imponent, & bene
 habebunt.

Kyrie eleyson. Christe eleyson.

Kyrie eleyson.

Pater noster, &c.

Et ne nos inducas, &c.

Saluum fac seruum tuum Domine,
 Deus meus sperantem in te.

Mitte ei Domine auxiliũ de sancto,
 Et de Sion tuere eum.

Nihil proficiat inimicus in eo,
 Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.

L

Esto

Esto ei Domine turris fortitudinis,
A facie inimici.

Domine exaudi orationem meam,
Et clamor meus ad te veniat.

Dominus vobiscum,
Et cum spiritu tuo.

OREMVS.

Domine Sancte, Pater omnipotens,
æterne Deus, qui benedictionis
tuæ gratiam ægris infundendo corpo-
ribus, facturam tuam multiplici pie-
tate custodis; ad inuocationem nomi-
nis tui benignus assiste, vt famulum
tuum (*famulam tuam*) ab ægritudine
liberatum (*liberatam*) & sanitati dona-
tum (*donatam*) dextera tua erigas, vir-
tute confirmes, potestate tuearis, at-
que Ecclesiæ tuæ Sanctæ cum omni
desiderata prosperitate restituas. Per
Dominum nostrum, &c.

§. SE-

*Litania Beatae Virginis
Lauretanae.*

KYrie eleyson.
Christeeleyson.

Kyrie eleyson.

Christe audi nos. Christe exaudi nos.

Pater de caelis Deus, Miserere nobis.

Fili Redemptor mundi Deus, Misere-
rere nobis.

Spiritus Sancte Deus, Miserere nobis.

Sancta Trinitas vnus Deus, Miserere
nobis.

Sancta Maria,

Sancta Dei genitrix,

Sancta Virgo Virginum,

Mater Christi,

Mater diuinæ gratiæ,

Mater purissima,

Mater castissima,

Mater inuiolata,

Mater intemerata,

Mater amabilis,

Mater admirabilis,

Mater Creatoris,

Mater Saluatoris,

Ora pro eo.

Virgo

L 2

udinis,

meam,

potens,

ctionis

corpo-

ici pie-

a nomi-

mulum

itudine

i dona-

as, vir-

ris, at-

a omni

as. Per

§. SE-

Virgo prudentissima,
 Virgo veneranda,
 Virgo prædicanda,
 Virgo potens,
 Virgo clemens,
 Virgo fidelis,
 Speculum Iustitiæ,
 Sedes sapientiæ,
 Causa nostræ lætitiæ,
 Vas spirituale,
 Vas honorabile,
 Vas insigne deuotionis,
 Rosa mystica,
 Turris Dauidicâ,
 Turris eburnea,
 Domus aurea,
 Fœderis arca,
 Ianua cæli,
 Stella matutina,
 Salus infirmorum,
 Refugium peccatorum,
 Consolatrix afflictorum,
 Auxilium Christianorum,
 Regina Angelorum,
 Regina Patriarcharum,
 Regina Prophetarum,
 Regina Apostolorum,

Ora pro eo.
 Regina

Regina Martyrum, ora pro eo.

Regina Confessorum, ora pro eo.

Regina Virginum, ora pro eo.

Regina Sanctorum omnium, ora pro eo.

A cunctis periculis, Libera eum Me-
diatrix nostra.

Per immaculatam Conceptionem tuam,
Libera eum Mediatrix nostra.

Per Sanctam Natiuitatem tuam, Li-
bera eum Mediatrix nostra.

Per venerabilem Presentationem tuam,
Libera eum Mediatrix nostra.

Per admirabilem Annunciationem
tuam, Libera eum Mediatrix no-
stra.

Per mundissimam Purificationem tuam,
Libera eum Mediatrix nostra.

Per gloriosam Assumptionem tuam,
Libera eum Mediatrix nostra.

Peccatores, Te rogamus audi nos.

Vt veram poenitentiam nobis impetra-
re digneris, Te rogamus audi nos.

Mater Dei, Te rogamus audi nos.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi,
Parce nobis Domine.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi,
Exaudi nos Domine.

L 3

Agnus

Ora pro eo.

Regina

166 AMICI FIDELIS

Agnus Dei qui tollis peccata mundi,
Miserere nobis.

Vers. Ora pro nobis Sancta Dei geni-
trix.

Resp. Ut digni efficiamur promissioni-
bus Christi.

OREMVS.

Concede hunc famulum tuū, quæ-
sumus Domine Deus, perpetua
mentis & corporis sanitate gaudere, &
gloriosæ B. Mariæ semper Virginis
intercessione, à præsentī liberari tri-
stītia, & æterna perfrui lætītia.

Deus, cui proprium est misereri
semper & parcere; suscipe depre-
cationem nostram, vt nos, & hunc fa-
mulum tuum, quos delictorum cate-
na constringit, miseratio tuæ pietatis
clementer absoluat

Deus infirmitatis humanæ singu-
lare præsidium, auxiliij tui super
infirmum famulum tuum ostende vir-
tutem, vt ope misericordiæ tuæ adiu-
tus, Ecclesiæ tuæ sanctæ incolumis re-
presentari mereatur.

Omni-

OMnipotens sempiterne Deus, salus æterna credentium, exaudi nos pro infirmo famulo tuo N. pro quo misericordiæ tuæ imploramus auxilium, vt reddita sibi sanitate, gratiarum tibi in Ecclesia tua referat actiones.

Respice Domine famulum tuum in infirmitate sui corporis laborantem, & animam refoue quam creasti, vt castigationibus emendatus, continuo se sentiat tua medicina saluatum. Per Dominum nostrum, &c.

Benedicat te Deus Pater †, sanet te Deus Filius †, illuminet te Spiritus Sanctus †, Cor tuum custodiat, animam tuam saluet, & ad supernam vitam te perducatur.

Amen.

L 4

§. TER-

§. TERTIVS.

Litaniae ex Sacra Scriptura concinnatae, in fauorem eorum qui tendunt ad mortem.

KYrie eleyson. Christe eleyson.
Kyrie eleyson.

Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Pater de cælis Deus. *Resp.* Miserere ei.
Fili Redemptor mundi Deus. *Resp.*
Miserere ei.

Spiritus Sancte Deus. *Resp.* Miserere
ei.

Sancta Trinitas vnus Deus. *Resp.* Mi-
serere ei.

Qui sanas contritos corde.

Qui vulneras & mederis.

Qui mortificas & viuificas.

Qui deducis ad inferos, & redu-
cis.

Qui saluos facis sperantes in te.

Qui Iob vlcere pessimo percus-
sum sanasti.

Qui Ezechiam ad te clamantem
à morbo liberaſti.

Qui dæmonium à Sara depulisti.

Miserere ei.

Qui

Qui Tobiam lumen cæli videre fecisti.

Qui Chananæam pro filia deprecantem exaudisti.

Qui Socrum Petri à febre liberasti.

Qui mulierem in spiritu infirmitatis annis octodecim inclinatã ad sanitatem perfectã erexisti.

Qui filium Principis iam mori incipientem à febre saluasti.

Qui puerum Centurionis verbo sanasti.

Qui paralyticos curasti, & leprosos mundasti.

Qui à spiritibus immundis vexatos & obsessos liberasti.

Qui mulierem per tactum fimbriæ à sanguinis fluxu sanasti.

Qui surdos audire fecisti.

Qui claudis gressum restituisi.

Qui mutorum ora aperuisti.

Qui cæcos illuminasti.

Qui omnes infirmos & ægrotos tangendo sanasti.

Qui omnes oneratos & laborantes reficis.

Miserere ei.

L 5

Qui

Qui omnes láguores nostros portasti,

Qui filium mortuum matri viduę viuum restituiſti.

Qui filiam Archiſynagogi ad vitam reuocaſti.

Qui Lazarum quatríduanum à mortuis reſuscitaſti.

Qui ægrotos viſitaſti, & viſitantibus præmia æterna promiſiſti.

Qui per vmbra Petri multos ab infirmitatibus ſuis liberaſti.

Qui per ſudaria & ſemicinctia Pauli multos infirmos curaſti.

Qui per oſſa Eliſæi mortuum ad vitam reuocaſti.

Propitiuſ eſto. Parce ei Domine.

Ab ira tua.

Ab omni malo.

Ab omni peccato.

Ab omni morbo & languore.

Ab omni impatientia, puſillanimitate & deſperatione.

A peſte & omni contagione.

Ab inſidijs Diaboli.

A mala morte.

A damnatione perpetua.

Miferere ei.

Libera eum Domine.

Per

Per tentationem tuam.
 Per lacrymas & ærumnas tuas.
 Per labores & defatigationes tuas.
 Per tristitiam & tædium tuum.
 Per sacrosancta vulnera tua.
 Per pauorem & mærorem tuum.
 Per sitim & famem tuam.
 Per agoniam, & sanguineum sudorem tuum.
 Per pretiosum sanguinem tuum.
 Per Crucem & Passionem tuam.
 Per mortem & sepulturam tuam.
 Per gloriosam Resurrectionem tuam.
 Per admirabilem Ascensionem tuam.
 In die iudicij.
 Peccatores. Te rogamus audi nos.
 Vt ei spatium veræ pœnitentiæ concedas.
 Vt compunctiõnem cordis, & fontem lacrymarum ei dones.
 Vt eum visitare, & consolari digneris.
 Vt veram pœnitentiam cordi illius infundere digneris.
 Vt remissionem peccatorum perfectam

Libera eum Domine.

Te rogamus audi nos.

fectam

Miserere ei.

Libera eum Domine.

Per

fectam ei donare digneris.

Vt prauas cogitationes ab eo remoueas.

Vt veram ac Christianam patientiam ei impertias.

Vt fidem, spem, charitatem ei adaugeas.

Vt gratiam & consolationem S. Spiritus ei infundas.

Vt in præfenti periculo ei succurrere digneris.

Vt eum in hora mortis contra omnes insidias Diaboli protegas.

Vt eum in tua gratia ad finem usque perseuerare, mori quæ facias.

Vt eius extrema benedicere, & sanctificare digneris.

Vt spiritum eius in manus tuas suscipere digneris.

Vt post obitum suum Paradisi ianuam gaudenter introire iubeas.

Vt nos exaudire digneris.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi,
Parce ei Domine.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi,
Exaudi nos Domine.

Agnus

Te rogamus audi nos.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi,
Miserere nobis.

Christe audi nos. Christe exaudi nos.

Kyrie eleyson. Christe eleyson.

Kyrie eleyson. Pater noster.

Vers. Et ne nos inducas in tentationē.

Resp. Sed libera nos à malo.

OREMVS.

OMnipotens & misericors Deus,
qui humano generi & salutis re-
media, & vitæ æternæ munera con-
tulisti: respice propitius seruum tuum
infirmirate corporis laborantem, &
animam refoue, quam creasti: vt in
hora exitus illius, absque peccati ma-
cula tibi creatori suo, per manus San-
ctorum Angelorum representari me-
reatur. Per Dominum, &c.

Imploramus clementiam tuam om-
nipotens Deus, vt famulum tuum
gratia tua confirmare digneris: vt in
hora mortis eius non præualeat con-
tra eum aduersarius, sed cum Ange-
lis tuis transitum habere mereatur ad
vitam.

Domine

Te rogamus audi nos.

Domine Iesu, per illam amaritudinem quam sustinuisti propter eum in Cruce; maximè quando anima tua benedicta egressa est de corpore tuo, miserere animæ eius in egressu ipsius. Qui uiuis, &c.

§. QUARTVS.

EN tibi etiam ordinem Commendationis animæ, qui habetur in Rituali Romano; vt, si eo uti uoles, libris alijs non indigeas.

*Accensâ candelâ, genibus flexis,
Litaniæ breues deuotè
recitandæ.*

KYrie eleyson. Christe eleyson.
Kyrie eleyson.
Sancta Maria, ora pro eo.
Omnes sancti Angeli & Archangeli,
orate pro eo.
Sancte Abel, ora.
Omnis chorus iustorum, ora.
Sancte Abraham, ora.
Sancte Ioannes Baptista, ora.
Omnes sancti Patriarchæ & Prophe-
tæ, orate.
Sancte

PARS SECUNDA. 175

Sancte Petre, ora.
 Sancte Paule, ora.
 Sancte Andrea, ora.
 Sancte Ioannes, ora.
 Omnes sancti Apostoli & Euangeli-
 listæ, orate.
 Omnes sancti Discipuli Domini, orate.
 Omnes sancti Innocentes, orate.
 Sancte Stephane, ora.
 Sancte Laurenti, ora.
 Omnes sancti Martyres, orate.
 Sancte Siluester, ora.
 Sancte Augustine, ora.
 Omnes sancti Pontifices & Confesso-
 res, orate.
 Sancte Benedicte, ora.
 Sancte Francisce, ora.
 Omnes sancti Monachi & Eremitæ,
 orate pro eo.
 Sancta Maria Magdalena. ora.
 Sancta Lucia, ora.
 Omnes sanctæ Virgines & Viduæ,
 orate pro eo.
 Omnes Sancti & Sanctæ Dei, Inter-
 cedite pro eo.
 Propitius esto, Parce ei Domine.
 Propitius esto, Libera eum Domine.
 Sancte Propi-

176 . AMICI FIDELIS

Propitius esto, Libera eum Domine.

Ab ira tua, Libera.

A mala morte, Libera.

A periculo mortis, Libera.

A pœnis inferni, Libera.

Ab omni malo, Libera.

A potestate Diaboli, Libera.

Per natiuitatem tuam, Libera.

Per Crucem & Passionem tuam,

Libera eum Domine.

Per mortem & sepulturam tuam,

Libera eum Domine.

Per gloriosam resurrectionem tuam,

Libera eum Domine.

Per admirabilem ascensionem tuam,

Libera eum Domine.

Per gratiam Spiritus Sancti paracliti,

Libera eum Domine,

In die Iudicij, Libera eum Domine.

Peccatores, Te rogamus audi nos.

Vt ei parcas, Te rogamus audi nos.

Kyrie eleyson. Christe eleyson.

Kyrie eleyson.

Deinde

Deinde cum in agone sui exitus anima anxietur, dicantur sequentes Orationes.

ORATIO.

Proficiscere anima Christiana de hoc mundo, in nomine Dei Patris omnipotentis, qui te creavit: In nomine Iesu Christi filij Dei viui, qui pro te passus est: In nomine Spiritus Sancti, qui in te effusus est: In nomine Angelorum & Archangelorum: In nomine Thronorum, Principatum, & Potestatum: In nomine Cherubim & Seraphim: In nomine Patriarcharum & Prophetarum: In nomine sanctorum Apostolorum & Euangelistarum: In nomine sanctorum Martyrum & Confessorum: In nomine sanctorum Monachorum, & Eremitarum: In nomine Virginum, & omnium Sanctorum & Sanctarum Dei: hodie sit in pace locus tuus, & habitatio tua sit in sancta Sion. Per eundem Christum Dominum nostrum.
Resp. Amen.

ORATIO.

Deus misericors, Deus clemens,
 Deus qui secundum multitudi-
 nem

M

nem

178 AMICI FIDELIS
nem miserationum tuarum peccata
pœnitentium deles, & præteritorum
criminum culpas venia remissionis e-
uacuas: respice propitius super hunc
famulum tuum N. & remissionem si-
bi omnium peccatorum suorum tota
cordis confessione poscentem depre-
catus exaudi. Renoua in eo pijs-
sime Pater, quidquid terrena fragilitate
corruptum, vel quidquid diabolica
fraude violatum est; & vnitati corpo-
ris Ecclesiæ membrum redemptionis
annecte. Miserere Domine gemituū,
miserere lacrymarum eius, & non ha-
bentem fiduciam, nisi in misericordia
tua, ad tuæ Sacramentum reconcilia-
tionis admitte. Per Christum Domi-
num nostrum. *Resp. Amen.*

Commendo te omnipotenti Deo,
carissime frater, & ei, cuius es crea-
tura, committo; vt cū humanitatis
debitum morte interueniente persol-
ueris, ad auctorem tuum, qui te de li-
mo terræ formauerat, reuertaris. E-
gredienti itaque animæ tuæ de corpo-
re splendidus Angelorum cœtus oc-
currat:

currat: Iudex Apostolorum tibi senatus adueniat: Candidatorum tibi Martyrum triumphator exercitus obuiet: Liliata rutilantium te Confessorum turma circumdet: Iubilantium te Virginum chorus excipiat: & beatæ quietis in sinu Patriarcharum te complexus astringat: mitis, atque festiuus Christi Iesu tibi aspectus appareat, qui te inter assistentes sibi iugiter interesse decernat. Ignores omne quod horret in tenebris, quod stridet in flammis, quod cruciat in tormentis. Cedat tibi teterrimus Sathanas cum satellitibus suis: in aduentu tuo te comitantibus Angelis contremiscat, atque in æternæ noctis chaos immane diffugiat. Exurgat Deus & dissipentur inimici eius, & fugiant, qui oderunt eum, à facie eius. Sicut deficit fumus, deficient; sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei: & iusti epulentur, & exultent in conspectu Dei. Confundantur igitur, & erubescant omnes tartaræ legiones, & ministri Satanæ iter tuum impedire non audeant. Liberet te à

cruciatu Christus, qui pro te crucifixus est. Liberet te à morte Christus, qui pro te mori dignatus est. Constituat te Christus filius Dei viui intra Paradisi sui semper amœna virentia, & inter oves suas te verus ille Pastor agnoscat. Ille ab omnibus peccatis tuis te absoluat; atque ad dexteram suam in electorum suorum te sorte constituat. Redemptorem tuum facie ad faciem videas, & præsens semper assistens manifestissimam beatis oculis aspicias veritatem. Constitutus igitur inter agmina beatorum, contemplationis diuinæ dulcedine potiaris in sæcula sæculorum. *Resp. Amen.*

ORATIO.

SVscipe Domine seruum tuum in locum sperandæ sibi saluationis à misericordia tua. *Resp. Amen.*

Libera Domine animam serui tui ex omnibus periculis inferni, & de laqueis pœnarum, & ex omnibus tribulationibus. *Resp. Amen.*

Libera Domine animam serui tui, sicut liberasti Enoch & Eliam de cõmuni morte mundi. *Resp. Amen.*

Libera

Libera Domine animã serui tui, sicut liberasti Noe de diluuiò. *Resp.* Amen.

Libera Domine animam serui tui, sicut liberasti Ahraham de Vr Chaldæorum. *Resp.* Amen.

Libera Domine animam serui tui, sicut liberasti Iob de passionibus suis. *Resp.* Amen.

Libera Domine animam serui tui, sicut liberasti Isaac de hostia, & de manu Patris sui Abrahæ. *Resp.* Amen.

Libera Domine animam serui tui, sicut liberasti Lot de Sodomis, & de flamma ignis. *Resp.* Amen.

Libera Domine animam serui tui, sicut liberasti Moysen de manu Pharaonis Regis Ægyptiorum. *Resp.* Amen.

Libera Domine animam serui tui, sicut liberasti Susannam de falso crimine. *Resp.* Amen.

Libera Domine animam serui tui, sicut liberasti tres pueros de camino ignis ardentis, & de manu Regis iniqui. *Resp.* Amen.

Libera Domine animam serui tui, sicut

182 AMICI FIDELIS
sicut liberasti Dauid de manu Regis
Saul, & de manu Goliæ. *Resp. Amen.*

Libera Domine animam serui tui,
sicut liberasti Petrum & Paulum de
carceribus. *Resp. Amen.*

Et sicut beatissimam Teclam vir-
ginem & martyrem tuam, de tribus
atrocissimis tormentis liberasti, sic li-
berare digneris animam serui huius, &
tecum facias in bonis congaudere cæ-
lestibus. *Resp. Amen.*

ORATIO.

Commendamus tibi Domine ani-
mam famuli tui N. precamur que
te Domine Iesu Christe, Saluator mû-
di, vt propter quam ad terram miseri-
corditer descendisti, Patriarcharum
tuorum sinibus insinuare non renuas.
Agnosce Domine creaturam tuam, nõ
ex dijs alienis creatam, sed à te solo
Deo viuo & vero: quia non est alius
Deus præter te, & non est secundum
opera tua. Lætifica Domine animam
eius in conspectu tuo, & ne memine-
ris iniquitatum eius antiquarum & e-
brietatum, quas suscitauit furor siue
feruor mali desiderij. Licet enim pec-
caue-

cauerit, tamen Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum non negauit, sed credidit; & zelum Dei in se habuit, & Deum qui fecit omnia, adorauit.
Resp. Amen.

ORATIO.

Delicta iuuentutis, & ignorantias eius, quæsumus, ne memineris Domine, sed secundum magnam misericordiam tuam memor esto illius in gloria claritatis tuæ. Aperiantur ei cæli, collætentur illi Angeli. In regnum tuum Domine seruum tuum suscipe. Suscipiat eum Sanctus Michael Archangelus Dei, qui militiæ cælestis meruit principatum. Veniant illi obuiam sancti Angeli Dei, & perducant eum in ciuitatem cælestem Hierusalem. Suscipiate eum Beatus Petrus Apostolus, cui à Deo clauis regni cælestis traditæ sunt. Adiuuet eum Sanctus Paulus Apostolus, qui dignus fuit esse vas electionis. Intercedat pro eo Sanctus Ioannes electus Dei Apostolus, cui reuelata sunt secreta cælestia. Orent pro eo omnes sancti Apostoli, quibus à Domino data est pote-

stas ligandi atque soluendi. Intercedant pro eo omnes Sancti Dei, qui pro Christi nomine tormenta in hoc sæculo sustinuerunt; vt vinculis carnis exutus peruenire mereatur ad gloriam regni cælestis: præstante Domino nostro Iesu Christo. Qui cum Patre & Spiritu sancto viuit, & regnat in sæcula sæculorum. *Resp. Amen.*

§. QUINTVS.

Quia diutiùs, interdum, laborat anima, consultum erit habere ad manum nonnullas alias Orationes, quæ superioribus annectantur.

Reuerendus P. Bartholomæus ab Angelis, ex illustri S. Dominici familia, libro quem scripsit de præparatione ad mortem, narrat è Summis Pontificibus vnum extitisse qui ministro suo Sacerdoti seriò iniunxit, vt cùm se in agonia constitutum cerne-
ret, ter Orationem Dominicam nomine suo recitaret: Primò, in honorem siue memoriam agonix, dolorumque, quos in horto Iesus Christus
passus

passus est. Secundò, in honorè siue memoriam eorum quę in Cruce pertulit, maximè cùm anima eius benedicta è suo corpore egressa est. Tertiò, in honorem siue memoriam charitatis, quę illum è cælo traxit in terram, vt nos è terra in cælum attolleret. Vix è viuus abierat Pontifex, cùm ecce tibi apparet, gratiasque agit Amico illi fideli, qui ter Orationem Dominicam recitauerat, asserens Christum Iesum absoluta prima oratione, æterno Patri sanguinem, quem in horto sudauerat representasse, & extemplò eius contemplatione ab omnibus mortis doloribus angustijsq; liberatū esse. Finita verò secūda, omnes animæ suæ maculas ita emaculatas esse vt ne minimum quidem earū vestigiū superesset. Finita autem tertia aiebat Christū Dominum cælum apertum sibi ostendisse, seque adeò in illud ineffabili gaudio lætitiaque subsultantē admissum esse.

Extant passim, huius argumenti ternæ Orationes, ideò magni apud me ponderis quod eas Rituale Romanum pias atque vtilis morientibus asseuerat,

186 AMICI FIDELIS
seuerat, iisque totidem orationes Do-
minicas, Salutationesque Angelicas
annectit hoc ordine & modo.

Kyrie eleyson. Christe eleyson.

Kyrie eleyson.

Pater noster. Aue Maria.

ORATIO.

Domine Iesu Christe, per tuam san-
ctissimam agoniam, & orationem
qua orasti pro nobis in monte Oliue-
ti, quando factus est sudor tuus sicut
guttæ sanguinis decurrentis in ter-
ram: obsecro te, vt multitudinem su-
doris tui sanguinei, quem præ timoris
angustiâ copiosissimè pro nobis effu-
disti, offerre & ostendere digneris Deo
Patri omnipotenti contra multitudi-
nem peccatorum huius famuli tui N.
& libera eum in hora mortis suæ, ab
omnibus pœnis, & angustijs, quas pro
peccatis suis se timet meruisse. Qui
cum Patre, & Spiritu Sancto viuis, &
regnas Deus in sæcula sæculorum.
Resp. Amen.

Kyrie eleyson. Christe eleyson.

Kyrie eleyson.

Pater noster. Aue Maria.

ORATIO.

ORATIO.

Domine Iesu Christe, qui pro nobis mori dignatus es in Cruce, obsecro te, vt omnes amaritudines passionum, & pœnarum tuarum quas pro nobis miseris peccatoribus sustinuisti in Cruce, maximè in illâ horâ, quando sanctissima anima tua egressa est de sanctissimo corpore tuo, offerre, & ostendere digneris Deo Patri omnipotenti pro anima famuli tui N. & libera eum in hac hora mortis ab omnibus pœnis & passionibus, quas pro peccatis suis se timet meruisse. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto viuis, & regnas Deus in sæcula sæculorum.

Resp. Amen.

Kyrie eleyson. Christe eleyson.

Kyrie eleyson.

Pater noster. Aue Maria.

ORATIO.

Domine Iesu Christe, qui per os Prophetæ dixisti: in charitate perpetua dilexi te, ideò attraxi te miserans: obsecro te, vt eandem charitatem tuam, quæ te de cælis in terram ad tolerandas omnium Passionū tuarum

rum

rum amaritudines attraxit, offerre & ostendere digneris Deo Patri omnipotenti pro anima huius famuli tui N. & libera eum ab omnibus passionibus & pœnis, quas pro peccatis suis timet se meruisse: & salua animam eius in hac hora exitus sui: aperi ei ianuam vitæ, & fac eum gaudere cum Sanctis tuis in gloria æterna. Et tu pijsime Domine Iesu Christe, qui redemisti nos pretiosissimo Sanguine tuo, misere animæ huius famuli tui, & eam introducere digneris ad semper virentia, & amœna loca Paradisi, vt viuat tibi amore indiuisibili, qui à te, & ab electis tuis numquam separari potest. Qui cum Patre, & Spiritu Sancto vis, & regnas Deus in sæcula sæculorum. *Resp. Amen.*

Si verum est, quod est verissimum aliud non esse nomen sub Sole datum hominibus in quo oporteat nos saluos fieri, nunc certè, si vnquam, maximè honorandum, maximèque inuocandum est.

§. SEXTVS.

1101

§. SEXTVS.

Litania de Nomine Iesu.

KYrie eleyson. Christe eleyson.

KYrie eleyson.

Christe audi nos. Christe exaudi nos.

Pater de cælis Deus. Miserere nobis.

Fili Redemptor mundi Deus. Misere-
rere nobis.

Spiritus Sancte Deus. Miserere nobis.

Sancta Trinitas vnus Deus. Miserere
nobis.

Iesu fili Dei viui,

Iesu potentissime,

Iesu perfectissime,

Iesu gloriosissime,

Iesu mirifice,

Iesu iucundissime,

Iesu charissime,

Iesu clarior Sole,

Iesu pulchrior Luna,

Iesu splendidior stellis,

Iesu admirabilis,

Iesu delectabilis,

Iesu honorabilis,

Iesu humillime,

Iesu pauperrime,

Miserere nobis.

Iesu

190 AMICI FIDELIS

Iesu mitissime,
 Iesu patientissime,
 Iesu obedientissime,
 Iesu castissime,
 Iesu amator castitatis,
 Iesu amator pacis,
 Iesu amator noster,
 Iesu speculum vitæ,
 Iesu exemplar virtutum,
 Iesu decus morum,
 Iesu zelator animarum,
 Iesu refugium nostrum,
 Iesu pater pauperum,
 Iesu consolatio afflictorum,
 Iesu thesaurus fidelium,
 Iesu gemma pretiosa,
 Iesu armarium perfectionis,
 Iesu bone Pastor ouium,
 Iesu stella maris,
 Iesu lux vera,
 Iesu sapientia æterna,
 Iesu bonitas infinita,
 Iesu gaudium Angelorum,
 Iesu Rex Patriarcharum,
 Iesu inspirator Prophetarum,
 Iesu magister Apostolorum,
 Iesu Doctor Euangelistarum,

Miserere nobis.

Iesu

Iesu fortitudo Martyrum, Miserere.
 Iesu lumen Confessorum, Miserere.
 Iesu sponse Virginum, Miserere.
 Iesu corona Sanctorum omnium,
 Miserere nobis.

Propitius esto, Parce nobis Iesu.
 Propitius esto, Exaudi nos Iesu.

Ab omni malo,
 Ab omni peccato,
 Ab ira tua,

A duro & ingrato corde,
 Ab insidijs Diaboli,

A mala morte,
 Per incarnationem tuam,

Per aduentum tuum,
 Per natiuitatem tuam,

Per circumcisionem tuam,
 Per sanguinem pretiosum quem

pro nobis infans fundere cœ-
 pisti,

Per lacrymas sacratissimas, qui-
 bus infantiles genas irrorasti,

Per cœlestem Nominis Iesu im-
 positionem,

Per gloriosam in Cruce Nominis
 Iesu Hebraicè, Græcè & Lati-
 nè inscriptionem,

Liberanos Iesu.

Per

Miserere nobis.

Iesu

Per dolores tuos,
 Per mortem tuam,
 Per resurrectionem tuam,
 Per ascensionem tuam,
 Per gaudia tua,
 Per gloriam tuam,
 Per dulcissimam Virginem ma-
 trem tuam,
 Per intercessionem Sanctorum
 omnium,

Liberanos Iesu.

Peccatores, Te rogamus audi nos.
 Vt dulcem melliflui Nominis Iesu
 memoriam in tabulis cordis nostri
 digito tuo inscribere digneris, Te
 rogamus audi nos.

Vt nomen hoc sanctissimum & viuen-
 tes in opere, & morientes in ore
 habere mereamur, Te rogamus
 audi nos.

Vt benignissime Iesu, sis nobis Iesus,
 Te rogamus audi nos.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi,
 Parce ei Iesu.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi,
 Exaudi eum Iesu.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi,
 Miserere ei Iesu.

Iesu

Iesu Christe audi nos. Iesu Christe
exaudi nos.

Kyrie eleyson. Christe eleyson.

Kyrie eleyson.

Pater noster.

Et ne nos inducas in tentationem.

Sed libera nos à malo.

Sit nomen Domini benedictum.

Ex hoc nunc & vsque in sæculum.

Domine exaudi orationem meam.

Et clamor meus ad te veniat.

OREMVS.

DEus qui gloriosissimum nomen
Iesu Christi filij tui Domini no-
stri fecisti fidelibus tuis summo suavi-
tatis affectu amabile, & malignis spi-
ritibus tremendum atque terribile:
concede propitius, vt omnes qui hoc
nomen Iesu deuotè venerantur in ter-
ris, sanctæ consolationis dulcedinem
in præsentipercipiât, & in futuro gau-
dium exultationis, & interminabilis
beatitudinis obtineant in cælis. Per
eundem Dominum nostrum Iesum
Christum filium tuum, qui tecum vi-
uit & regnat in vnitate Spiritus Sancti
Deus in sæcula sæculorum. Amen.

N

Dignare

Dignare benignissime Iesu, per hoc sanctum nomen tuum esse mihi Iesus: insere quæso cordi meo hoc amabile nomen tuum, vt eius dulcedine pascar, eiusque amore ita ardeam, vt moriar in te Iesu mi dulcissime, Iesu mi suavissime, Iesu mi dilectissime; inuocato semper hoc iucundissimo, hoc mellifluo, hoc salutifero nomine tuo, Iesu, Iesu, Iesu.

§. SEPTIMVS.

*Alia Inuocatio dulcissimi
Nominis Iesu.*

ANTIPHONA.

IN nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium, & inferiorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus noster Iesus Christus in gloria est Dei Patris.

Iesu splendor Patris, Iesu candor lucis æternæ, Iesu Sol Iustitiæ, Iesu lux mundi, Iesu illuminatio nostra; illumina oculos famuli tui ne vnquam obdormiat in morte, & propter gloriam nominis tui esto ei Iesus. Resp.
Amen.

Iesu

IESV redemptio nostra, Iesu propitiatio nostra, Iesu sanctificatio nostra, Iesu salus nostra, Iesu bone pastor, quem venisti redimere perditum, noli damnare redemptum: sed propter gloriam nominis tui esto ei Iesus.

Resp. Amen.

IESV fortitudo nostra, Iesu refugium nostrum, Iesu consolatio nostra, Iesu protectio nostra, Iesu auxilium nostrum, redime de interitu animam famuli tui, & non confundas sperantem in te: sed propter gloriam nominis tui esto ei Iesus. *Resp.* Amen.

Iesu Iudex viuorum & mortuorum, Iesu legifer noster, Iesu medice noster, Iesu mediator hominum, Iesu aduocate ad Patrem, parce famulo tuo quem redemisti pretioso Sanguine tuo, & non in æternum irasaris ei: sed propter gloriam nominis tui esto ei Iesus. *Resp.* Amen.

IESV amor noster, Iesu desiderium nostrum, Iesu diuitiæ nostræ, Iesu gloria nostra, Iesu Deus noster, extingue in hoc famulo tuo terrenorum affectum, & in pectore ipsius tui amoris

196 AMICI FIDELIS
ignem accende, ac propter gloriam
nominis tui esto ei Iesus: vt post vitæ
huius cursum inter sanctos & electos
tuos, eam perpetuæ gloriæ percipiat
portionem, quam oculus non vidit, &
auris non audiuit, & in cor hominis
non ascendit, quam præparasti dili-
gentibus te. *Resp. Amen.*

ORATIO.

O Bone Iesu, ô pijsissime Iesu, plene
misericordia & pietate: ô dulcis
Iesu, secundum magnam misERICOR-
diam tuam miserere huic famulo tuo
infirmo: ô clementissime Iesu, te de-
precamur per illum Sanguinem pre-
tiosum, quem pro peccatoribus effun-
dere voluisti, vt abluas omnes iniqui-
tates ipsius, & respicias in eum humi-
liter veniam deprecantem, & hoc san-
ctum nomen Iesus inuocantem. O no-
men Iesu, nomen dulce, nomen Ie-
su, nomen delectabile, nomen Iesu,
nomen confortans! quid est enim Ie-
sus nisi Saluator? ergo Iesu propter
nomen sanctum tuum esto ei Iesus &
salua eum: ne permittas eum dam-
nari quem tu de nihilo creasti: ô
dulcis

dulcis Iesu, recognosce quod tuum est, & absterge quod alienum est. O benignissime Iesu, miserere ei dum tempus est miserendi: & ne damnes eum in tempore iudicandi: Non enim mortui laudabunt te Domine, neque omnes qui descendunt in infernum. O amantissime Iesu, ô desideratissime Iesu, ô mitissime Iesu, ô Iesu salus in te credentium, ô Iesu salus ad te confugientium, ô Iesu dulcis remissio peccatorum omnium, ô Iesu Agnus Dei, ô Iesu fili David, ô Iesu fili Mariæ Virginis: libera famulum tuum ab omnibus tentationibus quibus eum angustiatur esse cognoscis: & mittere digneris Sanctum Angelum tuum de cælis, qui eum custodiat, foueat, protegat, visitet & defendat: atque animam ipsius in hora exitus sui, in Paradisum exultationis deducendam illicò suscipiat. *Resp. Amen.*

Vers. Sit nomen Domini benedictum.

Resp. Ex hoc nunc, & vsque in sæculum.

Quoniam utilis & grata nonnullis,
Dominicæ Passionis recitatio, en-
tibi illam.

*Passio Domini nostri Iesu Christi
secundum Ioannem.*

In illo tempore: Egressus Iesus cum
Discipulis suis trans torrentem Ce-
dron, ubi erat hortus, in quē introiuit
ipse, & discipuli eius. Sciebat autem
& Iudas, qui tradebat eum, locum:
quia frequenter Iesus conuenerat illuc
cum discipulis suis. Iudas ergo cum
accepisset cohortem, & à Pontificibus
& Pharisæis ministros, venit illuc cum
laternis, & facibus, & armis. Iesus ita-
que sciens omnia quæ ventura erant
super eū, processit, & dixit eis: Quem
quæritis? Responderunt ei: Iesum Na-
zanenum. Dicit eis Iesus: Ego sum.
Stabat autem & Iudas, qui tradebat
eum cum ipsis. Vt ergo dixit eis: Ego
sum: abierunt retrorsum, & cecide-
runt in terram. Iterum ergo interro-
gavit eos. Quem quæritis? illi autem
dixerunt, Iesum Nazarenum. Respon-
dit

dit Iesus: Dixi vobis quia ego sum. Si ergo me quæritis, sinite hos abire, vt impleretur sermo quem dixit. Quia quos dedisti mihi, non perdidisti ex eis quemquam. Simon ergo Petrus habes gladium, eduxit eum: & percussit Pontificis seruum, & abscidit auriculam eius dexteram. Erat autem nomen seruo Malchus. Dixit ergo Iesus Petro: Mitte gladium tuum in vaginam. Calicem quem dedit mihi Pater, non vis vt bibam illum? Cohors ergo, & tribunus, & ministri Iudæorum comprehenderunt Iesum: & ligauerunt eum, & adduxerunt eum ad Annam primum, Erat enim socer Caiphæ, qui erat Pontifex anni illius. Erat autem Caiphas, qui consilium dederat Iudæis: quia expedit vnum hominem mori pro populo. Sequebatur autem Iesum Simon Petrus, & alius discipulus. Discipulus autem ille erat notus Pontifici: & introiuit cum Iesu in atrium Pontificis. Petrus autem stabat ad ostium foris. Exiit ergo discipulus alius, qui erat notus Pontifici: & dixit ostiariæ, & introduxit Petrum. Dixit ergo Petro

ancilla ostiaria: Numquid & tu ex discipulis es hominis istius? Dicit ille, Non sum. Stabant autem serui, & ministri ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebant se. Erat autem cum eis & Petrus stans, & calefaciens se. Pontifex ergo interrogauit Iesum de discipulis suis, & de doctrina eius. Respondit ei Iesus: Ego palam locutus sum mundo: Ego semper docui in synagoga, & in templo, quò omnes Iudæi cõueniunt: & in occulto locutus sum nihil. Quid me interrogas? Interroga eos qui me audierunt, quid locutus sum ipsis. Ecce hi sciunt, quæ dixerim ego. Hæc autem cùm dixisset, vnus assistens ministrorum, dedit alapam Iesu, dicens: sic respondes Pontifici? Respondit ei Iesus: Si malè locutus sum testimonium perhibe de malo. Si autem benè, quid me cædis: Et misit eum Annas ligatum ad Caipham Pontificem. Erat autem Simon Petrus stans & calefaciens se. Dixerunt ergo ei: Numquid & tu ex discipulis eius es? Negauit ille, & dixit: Non sum. Dixit ei vnus ex seruis Pontificis, cognatus eius,

eius, cuius abscidit Petrus auriculam :
 Nonne ego te vidi in horto cum illo ?
 Iterum ergo negavit Petrus : & statim
 Gallus cantauit. Adducunt ergo Ie-
 sum à Caïpha in Prætorium. Erat au-
 tem manè : & ipsi non introierunt in
 prætorium, vt non contaminarentur,
 sed vt manducarent Pascha. Exiuit er-
 go Pilatus ad eos foras, & dixit : Quã
 accusationem affertis aduersus homi-
 nem hunc ? Responderunt, & dixerunt
 ei : Si non esset hic malefactor, non ti-
 bi tradidissemus eum. Dixit ergo eis
 Pilatus, Accipite eum vos : & secun-
 dum legem vestram iudicate eum.
 Dixerunt ergo ei Iudæi : Nobis non
 licet interficere quemquam. Vt sermo
 Iesu impleretur, quem dixit, signifi-
 cans qua morte esset moriturus. In-
 troiuit ergo iterum in prætorium Pi-
 latus : & vocauit Iesum, & dixit ei :
 Tu es Rex Iudæorum ? Respondit Ie-
 sus : A temetipso hoc dicis, an alij tibi
 dixerunt de me ? Respondit Pilatus :
 Numquid ego Iudæus sum ? Gens tua,
 & Pontifices tradiderunt te mihi. Quid
 fecisti ? Respondit Iesus : Regnum
 N 5 meum

meum non est de hoc mundo, Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utique decertarent, ut non traderer Iudæis. Nunc autem regnum meum non est hinc. Dixit itaque ei Pilatus: Ergo Rex es tu? Respondit Iesus: Tu dicis, quia Rex sum ego. Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni in mundum, ut testimonium perhibeam veritati. Omnis, qui est ex veritate, audit vocem meam. Dicit ei Pilatus: Quid est veritas? Et cum hoc dixisset, iterum exiit ad Iudæos, & dicit eis: Ego nullam inuenio in eo causam. Est autem consuetudo vobis, ut vnum dimittam vobis in Pascha. Vultis ergo dimittam vobis Regem Iudæorum? Clamauerunt rursus omnes, dicentes: Non hunc, sed Barrabbam. Erat autem Barrabbas latro. Tunc ergo apprehendit Pilatus Iesum, & flagellauit. Et milites plectentes coronam de spinis, imposuerunt capiti eius: & veste purpurea circundederunt eum. Et veniebant ad eum, & dicebant: Ave Rex Iudæorum: & dabant ei alapas. Exiit ergo iterum Pilatus foras, & dicit eis:

eis:

eis: Ecce adduco eum vobis foras, vt
 cognoscatis, quia nullam inuenio in
 eo causam. Exiuit ergo Iesus portans
 spineam coronam, & purpureum ve-
 stimentum. Et dicit eis: Ecce homo.
 Cùm ergo vidissent eum Pontifices, &
 ministri, clamabant, dicentes: Cruci-
 fige, crucifige eum. Dicit eis Pilatus:
 Accipite eum vos, & crucifigite. Ego
 enim non inuenio in eo causam. Res-
 ponderunt ei Iudæi: Nos legem ha-
 bemus, & secundum legem debet mo-
 ri: quia filium Dei se fecit. Cùm er-
 go audisset Pilatus hunc sermonem,
 magis timuit. Et ingressus est præto-
 rium iterum, & dicit ad Iesum: Vn-
 de es tu? Iesus autem responsum non
 dedit ei. Dicit ergo ei Pilatus: Mihi
 non loqueris? Nescis quia potestatem
 habeo crucifigere te, & potestatem ha-
 beo dimittere te? Respondit Iesus: Nō
 haberes potestatem aduersum me vl-
 lam, nisi tibi datū esset desuper. Prop-
 terea qui me tradidit tibi, maius pec-
 catum habet. Et exinde quærebat Pi-
 latus dimittere eum. Iudæi autem cla-
 mabant, dicentes: Si hunc dimittis,
 non

non es amicus Cæsaris. Omnis enim, qui se Regem facit, contradicit Cæsari. Pilatus autem cùm audisset hos sermones, adduxit foras Iesum: & sedit pro tribunali, in loco qui dicitur Lithóstrotos, Hebraicè autem Gabbatha. Erat autem Parasceue Paschæ, hora quasi sexta: & dicit Iudæis, Ecce rex vester. Illi autem clamabant: Tolle, tolle, Crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem vestrum crucifigam? Responderunt Pontifices: Non habemus regem, nisi Cæsarem. Tunc ergo tradidit eis illum, vt crucifigeretur. Susceperunt autem Iesum, & eduxerunt. Et baiulans sibi crucem, exiuit in eum, qui dicitur Caluariæ locum: Hebraicè autem Golgotha: vbi crucifixerunt eum: & cum eo alios duos, hinc, & hinc: medium autem Iesum. Scripsit autem & titulum Pilatus, & posuit super crucem. Erat autem scriptum, Iesus Nazarenus, Rex Iudæorum. Hunc ergo titulum multi legerunt Iudæorum: quia propè ciuitatem erat locus, vbi crucifixus est Iesus. Et erat scriptum Hebraicè, Græcè, & Latinè. Dicebant

cebant ergo Pilato Pontifices Iudæorum: Noli scribere Rex Iudæorum, sed quia ipse dixit, Rex sum Iudæorum. Respondit Pilatus: Quod scripsi, scripsi. Milites ergo cum crucifixissent eum, acceperunt vestimenta eius (& fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem) & tunicam. Erat autem tunica inconsutilis, desuper contexta per totum. Dixerunt ergo ad inuicem: non scindamus eam, sed sortiamur de illa, cuius sit. Vt scriptura impleretur, dicens: Partiti sunt vestimenta mea sibi, & in vestem meam miserunt sortem. Et milites quidem hæc fecerunt. Stabant autem iuxta crucem Iesu, mater eius, & soror matris eius, Maria Cleophæ, & Maria Magdalene. Cum vidisset ergo Iesus Matrem, & discipulum stantem quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier, ecce filius tuus: deinde dicit discipulo: ecce mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in sua. Postea sciens Iesus, quia iam omnia consummata sunt: vt consummaretur scriptura, dicit Sitio. Vas ergo positum erat aceto plenum.

plenum. Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori eius. Cùm ergo accepisset Iesus acetum: dixit, Consummatum est. Et inclinato capite tradidit spiritum. ✠ Iudæi ergo, quoniam Paraceue erat: vt non remaneret in cruce corpora Sabbato: (erat enim magnus dies ille Sabbati) rogauerunt Pilatum, vt frangerentur eorum crura, & tollerentur. Venerunt ergo milites: & primi quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus est cum eo. Ad Iesum autem cum venissent vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, sed vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuo exiuit sanguis & aqua. Et qui vidit, testimonium perhibuit: & verum est testimonium eius. Et ille scit, quia vera dicit, vt & vos credatis. Facta sunt enim hæc, vt scriptura impleretur. Os non comminuetis ex eo. Et iterum alia scriptura dicit: Videbunt in quem transfixerunt.

Post hæc autem rogauit Pilatum Ioseph ab Arimathæa (eò quòd esset discipulus)

manusq

disci-

discipulus Iesu, occultus autem propter metum Iudeorum) vt tolleretur corpus Iesu. Et permisit Pilatus: Venit ergo, & tulit corpus Iesu. Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte primum, ferens mixturam myrrhæ, & aloes, quasi libras centum. Acceperunt ergo corpus Iesu: & ligauerunt eum linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire. Erat autem in loco, vbi crucifixus est, hortus, & in horto monumentum nouum, in quo nondum quisquam positus erat. Ibi ergo propter Parasceuen Iudæorum, quia iuxta erat monumentum, posuerunt Iesum.

*Postea poterit legi Symbolum
sequens.*

Qicumque vult saluus esse: ante omnia opus est, vt teneat Catholicam fidem.

Quam nisi quisque integram, inuiolatamque serauerit: absque dubio in æternum peribit.

Fides autem Catholica hæc est: vt vnum Deum in Trinitate, & Trinitatem in vnitatem veneremur.

Neque confundentes personas : neque substantiam separantes.

Alia est enim persona Patris : alia Filij, alia Spiritus Sancti.

Sed Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, vna est diuinitas, æqualis gloria, coæterna maiestas.

Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus Sanctus.

Increatus Pater, increatus Filius, increatus Spiritus Sanctus.

Immensus Pater, immensus Filius, immensus Spiritus Sanctus.

Æternus Pater, æternus Filius, æternus Spiritus Sanctus.

Et tamen non tres æterni : sed vnus æternus.

Sicut non tres increati, nec tres immensi, sed vnus increatus, & vnus immensus.

Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus.

Et tamen non tres omnipotentes : sed vnus omnipotens.

Ita Deus Pater, Deus Filius, Deus Spiritus Sanctus.

Et

Et tamen non tres Dij, sed vnus est Deus.

Ita Dominus Pater, Dominus Filius, Dominus Spiritus Sanctus.

Et tamen non tres Domini, sed vnus est Dominus.

Quia sicut sigillatim vnamquamque personam, Deum ac Dominum confiteri Christiana veritate compellimur: ita tres Deos, aut Dominos dicere, Catholica religione prohibemur.

Pater à nullo est factus, nec creatus, nec genitus.

Filius à Patre solo est, non factus, nec creatus: sed genitus.

Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.

Vnus ergo Pater, non tres Patres, vnus Filius, non tres Filij: vnus Spiritus Sanctus, non tres Spiritus sancti.

Et in hac Trinitate, nihil prius aut posterius, nihil maius, aut minus: sed totæ tres personæ, coæternæ sibi sunt, & coæquales.

Ita vt per omnia, sicut iam supradictum est: & vnitas in Trinitate, &

Q

Trini-

Trinitas in vnitate veneranda sit.

Qui vult ergo saluus esse : ita de Trinitate sentiat.

Sed necessarium est ad æternam salutem : vt incarnationem quoque Domini nostri Iesu Christi fideliter credat.

Est ergo fides recta, vt credamus, & confiteamur : quia Dominus noster Iesus Christus Dei Filius, Deus & homo est.

Deus est, ex substantia Patris, ante sæcula genitus : & homo est, ex substantia matris, in sæculo natus.

Perfectus Deus, perfectus homo: ex anima rationali, & humana carne subsistens.

Æqualis Patri secundum diuinitatem : minor Patre secundum humanitatem.

Qui licet Deus sit, & homo : non duo tamen, sed vnus est Christus.

Vnus autem, non conuersione diuinitatis in carnem : sed assumptione humanitatis in Deum.

Vnus omnino, non confusione substantiæ : sed vnitate personæ.

Nam

PARS SECVNDA. 211

Nam sicut anima rationalis, & caro, vnus est homo: ita Deus & homo, vnus est Christus.

Qui passus est pro salute nostra, descendit ad inferos: tertia die resurrexit à mortuis.

Ascendit ad cælos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis: inde venturus est iudicare viuos & mortuos.

Ad cuius aduentum omnes homines resurgere habent cum corporibus suis: & reddituri sunt de factis proprijs rationem.

Et qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam: qui verò mala in ignem æternum.

Hæc est fides Catholica: quam nisi quisque fideliter, firmiterque crediderit, saluus esse non poterit.

O 2

Litania

Nam

*Litania Passionis Domini nostri
Iesu Christi.*

Humiliauit semetipsum Dominus no-
ster Iesus Christus, factus obediens
vsque ad mortem, mortem autem
Crucis: propter quod & Deus exal-
tauit illum, & donauit illi nomen
quod est super omne nomen: vt in
nomine Iesu omne genu flectatur,
cælestium, terrestrium, & inferno-
rum: & omnis lingua confiteatur,
quia Dominus Iesus Christus in
gloria est Dei Patris.

KYrie eleyson. Christe eleyson.
Kyrie eleyson.

Iesu Christe audi nos.

Iesu Christe exaudi nos.

Pater de cælis Deus, Miserere ei.
Fili Redemptor mundi Deus, Mife-
rere ei.

Spiritus Sancte Deus, Miserere ei.
Sancta Trinitas vnus Deus, Miserere
ei.

Fili Verbum Patris, Miserere ei.
Iesu Verbum caro factum, Miserere ei.
Iesu

Iesu nobiscum Deus,
 Iesu in formam serui factus,
 Iesu de Maria Virgine natus,
 Iesu ab Herode ad necem quæsi-
 tus,
 Iesu gratis odio habitus,
 Iesu contumelijs vexatus,
 Iesu lapidibus impetitus,
 Iesu præ compassione lacryma-
 tus,
 Iesu triginta argenteis appretia-
 tus,
 Iesu ad Discipulorum pedes in-
 clinatus,
 Iesu panis viuus nos confirmans,
 Iesu potus verus nos lætificans,
 Iesu in oratione prostratus,
 Iesu in agonia sanguineo sudore
 perfusus,
 Iesu ab Angelo confortatus,
 Iesu osculo à Iuda traditus,
 Iesu à Ministris ligatus,
 Iesu à Discipulis derelictus,
 Iesu Annæ & Caiphæ præsentat-
 us,
 Iesu a lapa à ministro percussus,
 Iesu à falsis testibus accusatus,

Miserere ei.

O 3

Iesu

214 AMICI FIDELIS

Iesu reus mortis iudicatus,
 Iesu in faciem consputus,
 Iesu oculis velatus,
 Iesu colaphis cæsus,
 Iesu cuius corpus percutientibus,
 & genæ vellentibus datæ,
 Iesu à Petro ter negatus,
 Iesu vinctus Pilato traditus,
 Iesu ab Herode & eius exercitu
 spretus & illusus,
 Iesu veste alba indutus,
 Iesu Barabbæ postpositus,
 Iesu flagellis cæsus,
 Iesu propter scelera nostra attri-
 tus,
 Iesu quasi leprosus reputatus,
 Iesu veste purpurea indutus,
 Iesu spinis coronatus,
 Iesu arundine percussus,
 Iesu à Iudæis ad Crucem postu-
 latus,
 Iesu morte turpissima condem-
 natus,
 Iesu voluntati Iudæorū traditus,
 Iesu Crucis pondere grauatus,
 Iesu tāquam ovis ad occisionem
 ductus,

Miserere ei.

Iesu

Iesu vestibus exutus,
 Iesu clavis in cruce confixus,
 Iesu propter iniquitates nostras
 vulneratus,
 Iesu pro inimicis Patrem depre-
 catus,
 Iesu cum iniquis reputatus,
 Iesu opprobrium hominū factus,
 Iesu à prætereuntibus blasphe-
 matus,
 Iesu à Iudæis derisus,
 Iesu à militibus in cruce illulus,
 Iesu à latrone conuitijs laceffitus,
 Iesu opprobrijs saturatus,
 Iesu Latroni pœnitenti paradi-
 sum pollicitus,
 Iesu qui Ioannem Matri tuæ in
 Filium tradidisti,
 Iesu te à Patre derelictum atte-
 status,
 Iesu felle & aceto in siti potatus,
 Iesu consummata omnia de te
 scripta testatus,
 Iesu cuius spiritus in manus Pa-
 tris commendatus,
 Iesu à Patre pro tua reuerentia
 semper exauditus,

Miserere ei.

Iesu

O 4

Iesu

Iesu vsque ad mortem crucis obe-
diens factus,

Iesu lancea transfixus,

Iesu de cuius latere exiuit sanguis
& aqua,

Iesu cuius liuore sanati sumus,

Iesu propitiatio nobis factus,

Iesu de cruce depositus,

Iesu in sindone munda inuolutus,

Iesu in monumento nouo tumu-
latus,

Propitius esto,

Parce ei Iesu.

Propitius esto,

Exaudi eum Iesu.

Ab omni malo,

Ab omni peccato,

Ab ira tua,

A subitanea & improuisa morte,

Ab insidijs Diaboli,

Ab ira & odio, & omni mala vo-
luntate,

A morte perpetua,

Per labores & vigilias tuas,

Per agoniam & sanguineum su-
dorem tuum,

Per alapas & flagella tua,

Per spineam Coronam tuam,

Per Crucem & Passionem tuam,

Per

Miserere ei.

Libera eum Iesu.

Per sitim, lacrymas & nuditatem tuā,
Libera eum Iesu.

Per mortem & sepulturam tuam,
Libera eum Iesu.

In die Iudicij, Libera eum Iesu.

Peccatores, Te rogamus audi nos.

Vt ei parcas,

Vt eum exaudias,

Qui Mariam absoluisti, & Latro-
nem exaudisti,

Qui saluandos saluas gratis,

Vt Angelorum cœtus ei splendi-
dus subueniat,

Vt ei Patriarcharum & Prophe-
tarum cuneus occurrat,

Vt eum gloriosus Apostolorum
chorus excipiat,

Vt candidatorum Martyrum
triumphans exercitus eum læ-
tus circumdet,

Vt eum Sanctorum Confessorum
agmen deducat,

Vt iubilantium Virginum eum
corona comitetur,

Vt ad authorem suum qui eum
de limo terræ formauit, redire
valeat,

Te rogamus audi nos.

O 5

Vt

Vt eum ad dexteram tuam in electo-
rum consortium benignè recipias,
Te rogamus audi nos.

Fili Dei, Te rogamus audi nos.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi.
Parce ei Iesu.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi,
Exaudi eum Iesu.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi,
Miserere ei Iesu.

Iesu Christe audi nos.

Iesu Christe exaudi nos.

Kyrie eleyson. Christe eleyson.

Kyrie eleyson.

Pater noster. Ave Maria.

Et ne nos inducas in tentationem.

Sed libera nos à malo.

OREMVS.

Domine Iesu, qui hora sexta pro
redemptione mundi crucis pati-
bulum ascendisti, & sanguinem tuum
pretiosum in redemptionem peccato-
rum nostrorum fudisti; te humiliter
deprecamur, vt hunc famulum tuum
post obitum suū paradisi ianuas gau-
denter introire concedas.

Respice

Respice quæsumus Domine super hunc famulum tuum pro quo Dominus Iesus non dubitavit manibus tradi nocentium, & Crucis subire tormentum. Qui tecum vivit & regnat Deus in sæcula sæculorum.

§. NONVS.

Varix Orationes pro moribundo.

Oratio ad Dominũ Iesum Christum de singulis articulis Passionis eius, sæpius dicenda, etiam à sanis.

Vers. Adoramus te Christe, & benedicimus tibi.

Resp. Quia per sanctam Crucem tuam redemisti mundum.

DEus, qui pro redemptione mundi voluisti nasci, circumcidi, à Iudæis reprobari, à Iuda traditore osculo tradi, vinculis alligari, sicut agnus innocens ad victimam duci, atque conspectibus Annæ, Caiphæ, Pilati, & Herodis

Herodis

Herodis indecenter offerri, à falsis testibus accusari, flagellis & opprobrijs vexari, sputis conspui, spinis coronari, colaphis cædi, arundine percuti, facie velari, & vestibus exui, cruci clavis affigi, in cruce leuari, inter Latrones deputari, felle & aceto potari, & lancea vulnerari: Tu Domine per has sanctissimas pœnas tuas, quas ego indignus recolo, & per sanctam Crucem & mortem tuam libera famulum tuum N. à pœnis inferni, & perducere digneris, quo perduxisti Latronem tecum crucifixum. Qui cum Patre & Spiritu Sancto viuis & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Oratio ab Amico fideli dicenda pro animam agentibus.

CHriste Iesu crucifixe, in vnione feruentissimi amoris, qui te vitam omnium viuentium in Cruce mori coegit, pulsamus ad medullam benignissimi cordis tui, & rogamus vt animæ famuli tui fratris nostri N. peccata omnia dimittas, & tua sanctissima conuersatione, & tuæ sanctissimæ Passionis

tionis merito amissa eius suppleas, eumque superabundantissimam miserationum tuarum multitudinem facias experiri, nosque omnes, & singulariter hunc fratrem nostrum, ut quem proximè vocare disponis, placito tibi modo præpares, ei que præstes, ut cum vera patientia, perfecta resignatione, plena peccatorum remissione, validissima fide, spe firma, & integra caritate, in perfectissimo statu, inter dulcissimum amplexum, & suavissimum osculum tuum feliciter ad tuam æternam laudem expiret. Eia dulcissime Redemptor Domine Iesu, per illas lacrymabiles voces quas in cruce morturus edidisti, & passionis doloribus consumptus dixisti: Deus meus, Deus meus, ut quid me dereliquisti? ne quæso longè facias à famulo tuo fratre nostro N. tuæ miserationis auxilium; nam ille in hac hora & momento extremæ afflictionis, præ defectio-
 ne animæ & consumptione spiritus te inuocare non valet. Per triumphum sanctæ Crucis, & per mortis passionisque tuæ infinitum meritum, cogita
 Domine

Domine de eo cogitationes pacis & non afflictionis, sed misericordiae & consolationis. Libera eum de omnibus angustijs: tuisque sanctissimis manibus, quas pro eo nobisque omnibus in cruce clavis affigi permisisti, Iesu bone & amantissime Pater, erue illum à tormentis ei debitis, & perduc illum in requiem eternam. Amen.

ORATIO.

Plissime Iesu, qui in cruce existens pro tuis crucifixoribus Patrem rogasti, dicens: Pater dimitte illis: deprecamur maiestatem tuam, vt in hoc seruo tuo orationis tuæ effectum renouare digneris, ei que offensas suas omnes dimittas. Rogamus insuper, vt sicut Matri desolatissimæ dilectum discipulum, dilecto verò discipulo Matrem desolatissimam commendaisti, ita per merita vtriusque, animam huius famuli tui adoptare, regni que cælestis hæredem adscribere digneris. Qui viuis & regnas Deus in sæcula sæculorum. Amen.

ORATIO.

ORATIO.

Suauissime Iesu, Dei & hominum
 mediator, qui pro salute nostra pœ-
 nas nobis debitas in tuo corpore pas-
 sibili sustinuisti; & vt grauiores pœ-
 narum amaritudines gustares, vnitæ
 tibi Diuinitatis dulcedinem in hora
 Passionis à tua humanitate subtraxi-
 sti, vnde & clamauisti: *Eloi Eloi lamma
 sabatháni.* Oramus clementiam tuam
 vt huius famuli tui animam prote-
 gendo, suavi tua consolatione lætifi-
 ces, & gratiæ præsentia que tuæ dul-
 cedinem infundas, quo extremam vi-
 tæ periodum in sanctæ charitatis tuæ
 brachijs finire mereatur.

Saluam fac animam famuli tui Do-
 mine Deus, & benedic illam de cæ-
 lo sancto tuo. Expugna impugnantes
 illam; effunde frameam tuam aduer-
 sus illos, dic animæ eius, salus tua ego
 sum, ita fiat bone Iesu, salus esto ani-
 mæ famuli tui, & protector eius in om-
 ni tribulatione: vide afflictionē eius,
 ne sileas, & ne discedas ab eo, exurge
 in adiutorium eius, ne à te vllis dæ-
 monum

monum fraudibus separetur; sed te adiuuante victor ad cælestem gloriam peruenire mereatur. Vbi viuis & regnas Deus in sæcula sæculorum.

Domine IESV fons misericordiæ, ostende huic pauperculæ creaturæ misericordiam tuam: adiuua illam in hac extrema necessitate sua. Bone Iesu pone Passionem, Crucem & mortem tuam inter iudicium tuum & animam illius. Ecce ignorans quò se conuertat ad te Deum suum conuertitur, non illam abijcias. Nunc Domine secundum voluntatem tuam fac cum ea misericordiam, & præcipe in pace recipi spiritum eius: sonet in animæ eius auribus vox illa tua dulcis: Hodie mecum eris in paradiso. Suscipe illam Iesu crucifixe inter amorosa brachia tua quæ pro ea in cruce extensa sunt. Suscipe illam inter desiderabiles amplexus tuos, & trahe ad te animam eius: suscipe illam bone Iesu in misericordia tua. Ita fiat bone Iesu, suscipe in pace spiritum eius.

ORATIO.

ORATIO.

O Misericordissime Domine Iesu, reparator humani generis: qui in die Passionis tuæ, in nervorum & ossium contractione, pœnam acerbissimam sensisti: & pretiosissimum caput tuum spinarum densitate punctum fuit, & latus tuum lancea perforatum extitit, vnde fluxerunt Sanguis & aqua: Deprecamur maiestatem tuam, quatenus animam huius famuli tui, virtutum luminoso splendore illustres: & tribuas illi, tuarum acerbitate spinarum merito, de offensis ab eo tibi illatis, vehementer dolere, & pœnam habere: vt omnia eius delicta, tuę pretio sacratissimæ Passionis deleantur, & ad Angelorum societatem, te trahente peruenire valeat. Amen.

ORATIO.

O Suauissime Domine Iesu, Dei & hominum mediator, qui inter cætera tormenta, quæ in cruce tulisti corporaliter sitire voluisti vehementer dum clamauisti, Sitio: Deprecamur maiestatem tuam, quatenus animam
 P. huius

226 AMICI FIDELIS
huius serui tui, illo nunc igne digneris
vrere, quem in terras mittere venisti:
quo cunctis vitijs desiccatis, illius ani-
ma, & caro, charitatis tuæ igne succen-
sa, te solum sitiatur, te diligat, te quæ-
rat, reperiat, & fruatur: & ipsam ad
æternam benedictionem sanctissimæ
Passionis tuæ merito iubilosè digne-
ris adducere. Amen.

ORATIO.

O Sacratissime Domine Iesu, omne
bonum consummans: qui cum
acetum gustasti, dixisti, Consumma-
tum est: & inclinato capite, spiritum
emisisti: Obsecramus maiestatem tuam
pro anima famuli tui in extremis exi-
stentis, quatenus gratiæ tuæ dulcedi-
nem, & splendidum fidei lumen in-
fundas illi: vt extremam horam in
sanctæ charitatis tuæ brachijs finire, &
tibi dicere valeat. Ecce, clementissime
Domine Iesu, nunc ad te venio: tua
suavi voce iube suscipi spiritum meum
in æternam claritatem. Amen.

ORATIO.

ORATIO.

O Clementissime Domine Iesu, solamen miserorum, qui peccata nostra in tuo corpore portasti: verè tu es Deus, qui dolores nostros tulisti, & à perpetua morte nos liberasti: quia in sacratissimo corpore tuo, à planta pedis vsque ad verticem non fuit in te sanitas, & qui eras præ filijs hominum speciosus, quasi leprosus reputatus fuisti. Deprecamur suauissimam charitatem tuã, quatenus omnia huius serui tui peccatorum vulnera sanes: vt omnibus vitijs emundatus, ad te clementissimum Patrem, & Dominum, spiritali solamine roboratus, lætanter peruenire valeat: & qui tuo pretiosissimo sanguine est redemptus, tuæ Passionis insignia gestat, ad gloriosissimã visionem tuam, omnium passionum tuarum merito, concomitantibus sanctis Angelis deducere digneris. Amen.

P 2 §. DECI.

RATIO.

§. DECIMVS.

Planctus B. Mariæ Virginis.

Stabat Mater dolorosa,
 Iuxta crucem lacrymosa,
 Dum pendeat Filius.
 Cuius animam gementem,
 Contristantem & dolentem
 Pertransiuit gladius.
 O quam tristis & afflicta
 Fuit illa benedicta
 Mater vnigeniti!
 Quæ mœrebat & dolebat,
 Et tremebat, cùm videbat
 Nati pœnas inclyti.
 Quis est homo qui non fleret,
 Christi Matrem si videret
 In tanto supplicio?
 Quis non posset contristari,
 Piam Matrem contemplari,
 Dolentem cum Filio?
 Pro peccatis suæ gentis
 Vidit Iesum in tormentis.
 Et flagellis subditum.
 Vidit suum dulcem natum,
 Morientem desolatum,
 Dum emisit spiritum.

ginis.
Eia Mater, fons amoris,
Me sentire vim doloris
Fac, vt tecum lugeam.
Fac, vt ardeat cor meum,
In amando Christum Deum,
Vt sibi complaceam.
Sancta Mater istud agas,
Crucifixi fige plagas,
Cordi meo validè.
Tui nati vulnerati,
Tam dignati pro me pati,
Pœnas mecum diuide.
Fac me verè tecum flere,
Crucifixo condolere,
Donec ego vixero.
Iuxta crucem tecum stare,
Te libenter sociare
In planctu desidero.
Virgo Virginum præclara,
Mihi iam non sis amara,
Fac me tecum plangere:
Fac vt portem Christi mortem,
Passionis eius sortem,
Et plagas recolere.
Fac me plagis vulnerari,
Cruce hac inebriari,
Ob amorem filij.

230 AMICI FIDELIS

Inflammatuſ & accenſuſ,
Per te Virgo ſim deſenſuſ
In die Iudicij.

Fac me Cruce cuſtodiri,
Morte Chriſti præmuniri,
Confoueri gratia.

Quando corpus morietur,
Fac vt animæ donetur
Paradiſi gloria. Amen.

Vers. Tuam ipſiuſ animam doloris
gladius pertranſiuit.

Reſp. Vt reuelentur ex multis cordi-
bus cogitationes.

OREMVS.

INterueniat pro nobis, quæſumus
Domine Ieſu Chriſte, & pro anima
huiuſ famuli tui, nunc & in hora
mortis noſtræ, apud tuam clemen-
tiam B. Virgo Maria mater tua, cuiuſ
ſacratiffimam animam, in hora tuæ
Paſſionis doloris gladius pertranſiuit.
Per te Ieſu Chriſte Saluator mundi,
qui cum Patre & Spiritu Sancto viuſ
& regnas in ſæcula ſæculorum.
Amen.

Oratio

*Orationes ad Beatam Virginem
pro moribundis.*

1. **V**irgo clementissima, Dei geni-
trix Maria, ob illius doloris gla-
dium, qui tuam sacratissimã animam
pertransiuit, quando cernebas filium
tuum nudum in Cruce pendentem,
clavis perforatum, cruore perfusum,
plagis ac vulneribus laceratum, adiu-
ua animam serui tui, vt compassionis
tecum gladio, diuiniq̃ue timoris ac
amoris lancea transuerberetur, & sic
omnis peccati humor noxius effluat,
mundatoq̃ue à vitijs pectore terrena
despiciat, & toto affectu ad cœlestia
anhelet.

2. **M**aria Virgo sanctissima, ob a-
cerbum illum doloris sensum
quem experta es quando Iesum filium
tuum præ dolore clamantem, & te
Ioanni commendantẽ audiuisti: exau-
di preces quas ad aures tuę pietatis pro
famulo tuo fundimus, eiq̃ue in obitu
suo subueni, & eius spiritum clemen-
tissimo filio tuo commenda; vt ma-
terna tua interuentione à terroribus

232 AMICI FIDELIS
& tormentis eruatur, & ad desideratam cælestis patriæ regionem te comitante perueniat.

3. **B**Eata Virgo Maria, per terrorem & horrorem illum grauiissimum, quo maternum pectus tuum contremuit, quando filium tuum dilectissimum Dominum nostrum Iesum Christum ab impijs captum, ligatum, tractum ad supplicia, & ab omnibus derelictum inaudisti; adiuua famulum tuum in extremis constitutum; vt de præteritis delictis contritionem veram eliciat, ne fortè in hoc obitu suo aduersarij occursum paueat, tremendique Iudicis aspectum, accusante conscientia contremiscat; sed potiùs ope tua desideratam eius faciem in iubilo videat, & tecum gaudijs æternis perfruatur.

4. **V**irgo dulcissima Dei genitrix Maria, per cruciatus & angustias quas sustinuit cor tuum quando filius tuus Dominus noster Iesus Christus clamantibus Iudæis: *Crucifige*
869

ge, crucifige, morti adiudicatus est, & supplicio crucis addictus; subueni huic famulo tuo in extremis laboranti, ne mortis æternæ contra eum sententia proferatur; sed potiùs ad vitam lætus, te intercedente, transeat sempiternam.

5. **I**ntemerata & in æternum benedicta Virgo Maria, famulo tuo in hoc extremæ necessitatis articulo subueni, illos tuos misericordes oculos ad illum conuerte: ostende illi dulcissimam faciem tuam, & in virtute sanctæ Crucis inimicos eius omnes disperde. Libera eum ex omni angustia, vt tecum, & cum beatis spiritibus Redemptori suo æternas gratiarum referat actiones. Reminiscere misericordiarum tuarum, ô mater misericordiæ, & secundum multitudinem miserationũ tuarum animæ illius opitulare.

Maria mater gratiæ, mater misericordiæ, tu eam ab hoste protege, & hora mortis suscipe.

6. **O** Maria Virgo castissima, ob acerbi eiulatus planctum, quem de profundo pectoris erumpentem abscondere non valebas, quando in amplexum filij tui ruebas: cuius genas antè nitentes, & ora rutilantia, mortis palloribus perfundi conspiciebas: Auxiliare, suauissima Domina nostra, huic seruo tuo: quatenus de delictis commissis sic doleat, vt anima eius mellifluis osculis, & amorosis amplexibus Domini nostri Iesu Christi, in cælorum beatissimo regno dignè valeat perfrui. Amen.

7. **O** Maria Virgo gloriosissima, ob singultus & suspiria, indicibiliaque lamenta, quibus afficiebatur cor tuum, quando cernebas filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum filium Dei viui, animæ tuæ vnicum solatium sepeliri. Adiuua, ô sacratissima Domina nostra, animam serui tui, in hac lacrymarum valle laborantem, vt cum de corpore egressa fuerit, tuis suffragantibus meritis, cum corusco

rusco claritatis lumine, te comitante
 Domino nostro Iesu Christo glorifi-
 canda præsentetur. Amen.

ORATIO.

SAncte Michael Archangele, succur-
 re huic animæ, apud altissimum iu-
 dicem. O inuictissime pugil, assiste huic
 famulo tuo in extremis laboranti, &
 eum potenter à dracone infernali de-
 fende, & à visione, fraudeque malo-
 rum spirituum. Insuper exoramus te,
 vt in hac extrema hora vitæ ipsius,
 animam eius benignè suscipias, ac sua-
 uiter in sinum tuum recipias: illam-
 que in locum refrigerij, lucis, & pacis
 perducas, cum Domino Iesu æterna-
 liter regnaturam. Amen.

ORATIO.

TE summa Deus Trinitas, omni-
 potens, æterne Deus, qui es sem-
 per, & per omnia Deus benedictus in
 sæcula, quem omnis spiritus laudat, sup-
 pliciter exoramus, quatenus per meri-
 tum illius ineffabilis, & excellentissi-
 mæ charitatis, qua dilectissimus filius
 tuus Dominus noster Iesus Christus
 homo

homo fieri dignatus est: qua etiam pro salute nostra, vincula, opprobria, conuitia, flagella, sputa, alapas, coronam spineam, ac immanissimam mortem amorosè passus est: ac etiam per meritum gloriosissimæ, & beatissimæ virginis Mariæ, & omnium Sanctorum, qui tibi ab initio mundi placuerunt: necnon per virtutem clauium spiritualium, quas clementissimè, bone Iesu, Ecclesiæ tuæ ministris tradidisti, ut huic famulo tuo in extremis laboranti, misericorditer indulgere digneris omnia peccata sua, quæ ab hora sacri baptismatis, vsque ad præsens, quoquo modo, malitia, miseria, ignorantia ac fragilitate commisit. Et ipsum per sanctas indulgentias, & absolutiones, ex thesauris tuæ immensæ charitatis indultas, reddere digneris in illa puritate innocentia, ac spirituali claritate, quas in baptismo donare dignatus es. Dignare etiam suavissime Domine Iesu, ab omni aspectu, & terrore dæmonum ipsum tueri: & propter gloriosi nominis tui honorem, ipsum in conspectu Diuinæ Majestatis tuæ
gratum

gratum reddere : quatenus, dulcissime Pater, ac amabilissime Redemptor bone Iesu, merito omnium Sancto- rum tuorum, & præsertim sacratissime Passionis tuæ clementer suscipias, te perenni iubilo in cælorum beatissimo regno æternaliter fruiturum. Amen.

ORATIO.

Domine Deus omnipotens, qui tri- nus & vnus es : tua eximia com- pulsi charitate te humiliter exoramus pro anima serui tui, nunc in extremis laboranti, quam, sacratissime Domine, commendamus pijsimæ omnipoten- tiæ tuæ: vt illam ab aspectu, & terrore demonum custodias, & tuearis: ne in desperatione labatur : ne diffidentia tentationibus obnubiletur : ac præte- ritarum culparum recordatione ma- culetur. Exaudi nos, Domine glorio- se, tuam suauissimam bonitatem inter- pellantes pro illa. Et exaudi per ora- tiones Patriarcharum, per merita Pro- phetarum, per suffragia Apostolorum, per victoriam Martyrum, per fidem Confessorum, per castitatem Virgi- num, per deuotam intercessionem om- niu[m]

238 AMICI FIDELIS
nium qui tibi ab initio placuerunt.
Suauissime Domine, ab ipsa anima
expelle iactantiam, & compunctionem
tribue: superbiam minue, & perface
humilitatem, fletum suscita, & cor e-
ius mollifica: ab omnibus insidijs ini-
mici illam clementer libera, & in lu-
mine fidei conserua: lumenque gra-
tiæ tuæ infunde illi, vt de omnibus
peccatis suis veram contritionem ob-
tineat. Clementissime Domine, om-
nia desideria mala tolle ab ipsa: & om-
nia diaboli tela ignea extingue: do-
na illi lacrymas ex tuo ardenti affectu,
quæ peccatorum suorum dissoluant
vincula. Audi, Domine, quæ petit, &
celeriter exaudi. Si despicias, prorsus
perit: si prospicias, viuit: si iustitiam re-
quiris ante te mortua foetet: si cum
misericordia respexeris, ipsam peccatis
foetentē de desperationis baratro sus-
cites, quod in ea odis, longè fac ab ip-
sa, & spiritum tuæ spiritualis lætitiæ
illi tribue. Bone Iesu, animæ eius par-
ce, & malis criminibus, & peccatis.
Visita illum infirmum, egrotum cura,
sana languidum. Domine Iesu, da illi
COR

cor, quod timeat te : sensum, qui te intelligat, & oculos spirituales, qui videant te. Domine Iesu, miserere illi: & de maiestatis tuę sede clementer respice, & animæ eius tenebras tui splendoris radio illumina. Clementissime Domine Iesu, à te peccatorum suorū remissionem humiliter petimus : à quo, & per quem, est omnis propitiatio. Sancta, & immaculata virgo Maria, Domini nostri Iesu Christi mater, te obnixè deprecamur: quatenus pro anima huius serui tui interuenire digneris apud illum, cuius templum effici meruisti. Sancte Michael, Sancte Gabriel, Sancte Raphael, Sancte Angele Custos eius, cum omnibus choris Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, Cōfessorum, Sacerdotum, Leuitarum, Eremitarum, Doctorum, Monachorum, Virginum, omniumq; iustorum, per eximium Domini nostri Iesu Christi amorē qui vos elegit, de cuius cōtēplatione gaudetis : vos orare pręsumimus, pro huius infirmi anima, vt pro ipsa supplicare dignemini, quatenus de diaboli faucibus
&

& de morte perpetua liberari mereatur. Domine Iesu perpetuam vitam secundum magnam misericordiam tuam ei largiri digneris. O clementissime Domine Iesu, qui omnium misereris, famulum tuum à tua misericordia fieri alienum non patiaris: quatenus in Passionis sacratissimæ tuæ merito ab omnibus peccatis suis abluatur: & tecum æternaliter in cœlorum beatissimo regno gloriatur. Amen.

ORATIO.

Iesu Domine Deus noster, animam famuli tui conserva, quoniam sperat in te, illumina cor eius, ut iubilosè ad te veniat. Exultet, bone Iesu, cor serui tui morientis in te: cantet, & psallat tibi Domino Deo suo in æternum. Sub umbra alarum tuarum, Domine Iesu, famulum tuum protege: à facie impiorum, qui illum affligunt. Usquequò bone Iesu obliuisceris serui tui? usquequò auertes faciem tuam ab eo: Salua, Domine Iesu, ex ore leonis animam famuli tui: & à cornibus unicomium, bone Iesu, misericorditer libera eam. Amen.

ORATIO.

ORATIO.

Maria Virgo beatissima, misericordias tuas cum famulo tuo moriente mirifica: illum in te sperantem saluum fac. Aures tuas, gloriosissima Virgo Maria, ad seruum tuum inclina, & affectum cordis illius exaudi: nam in tribulatione maxima versatur. Respice suauissima Virgo Maria, huius serui tui morientis angustias: & illum libera, & ad preces nostras pro illo intende. In hac terribili animaduersione famuli tui, gloriosissima virgo Maria, inuocamus te, quatenus suauis aspectu tuo lætifies illum. Ad te suauissima virgo Maria, animam serui tui trahe: non erubescat, quoniam sperat in te. Amen.

ORATIO.

Iesu Domine Deus noster, anima famuli tui requiescat in te: esto illi nunc refugium, & liberator: Exurge, bone Iesu, in adiutorium serui tui: dæmonem præueni, & expelle illum, ne animam famuli tui rapere valeat. Sit, bone Iesu, nomen tuum dulcissimum, benedictum ex hoc, nunc, & vsque in
 Q sæculum

242 AMICI FIDELIS
sæculum. Voce nostra, bone Iesu, ad te
pro seruo tuo clamamus: salua illius
animam in hac hora. Saluam fac Do-
mine Iesu, animam famuli tui: & li-
bera eam, bone Iesu: quia Deus suus
es tu. Amen.

ORATIO.

MAria Virgo beatissima, animam
serui tui illumina, & tenebras eius
mentales tua prece depelle. Ab insur-
gentibus in famulum tuum, gloriosa
Virgo Maria, libera eum: & à spiritu
iniquo protege illum. Respice in ser-
uum tuum morientem, suauissima vir-
go Maria: & libera eum ne pereat.
Imple, clementissima Virgo Maria,
preces nostras pro famulo tuo, vt sen-
tiat, quia tu es eius suauissima mater.
Auxilium de cœlo, gloriosa Virgo
Maria, mitte seruo tuo, & de excelso
tuere illum. Amen.

§. VNDE.

§. VNDECIMVS.

*Quadam clara voce, sed tractim, articula-
tim, & interruptè moribundo suggeren-
da; maxime cum iam mox expiraturus
putatur.*

IN manus tuas Domine commendo
spiritum meum.

Iesu fili David miserere mei.

Deus in adiutorium meum intende.

Domine ad adiuuandum me festina.

Bone Iesu, dic animæ meæ salus tua
ego sum.

Bone Iesu, qui venisti perditum redi-
mere, noli damnare redemptum.

Domine Iesu suscipe spiritum meum.

*Is qui assueuerunt actus fidei, spei, amo-
ris & contritionis per diem exercere, con-
sultum erit id eis in memoriam reuocare
verbo vno: Credo, spero, diligo, doleo.*

Recordare Iesu pie,

Quod sim causa tuæ viæ,

Ne me perdas illa die.

Quærens me sedisti lassus,

Redemisti crucem passus,

Tantus labor non sit cassus.

Q 2

Quod

Quod si moriens animi territi signa aliqua ederet ; Amicus fidelis aspergat illum aqua lustrali, arreptaq; in manus Christi crucifixi imagine dicat:

Ecce Crucem Domini, fugite partes aduersæ, vicit Leo de tribu Iuda radix David.

Exurgat Deus & dissipentur inimici eius, & fugiant qui oderunt eum à facie eius.

Addat hæc in aurem: Abrenuncio tibi Satana. Vade Satana.

Domine vim patior responde pro me, ne relinquant me, Domine Deus meus, ne discesseris à me.

Bone Iesu in quem credidi, miserere mei.

Bone Iesu in quo speravi, miserere mei.

Bone Iesu quem dilexi, miserere mei, O mater Dei memento mei.

**Maria mater gratiæ,
Mater misericordiæ,
Tu nos ab hoste protege,
Et hora mortis suscipe.**

Eia

PARS SECVNDA. 245

Eia bona mater & aduocata nostra,
illos tuos misericordes oculos ad
nos conuerte.

O clemens, ô pia, ô dulcis Virgo
Maria.

Quando corpus morietur,
Fac vt animæ donetur,
Paradisi gloria.

Angele Sancte Dei, sit tibi cura mei.

O Iesu, Iesu, Iesu, esto mihi Iesus &
salua me.

O bone IESV, suscipe spiritum
meum.

In manus tuas Domine commendo
spiritum meum, redemisti me Do-
mine Deus veritatis.

Ex his Oratiunculis, Amicus fide-
lis seligat, quæ sibi magis arridebunt,
aut alias ipse, suggerente Spiritu San-
cto, componat, proferatque ad maio-
rem Dei gloriam, Proximi que mori-
bundi salutem.

Q3

§. Dvo-

Eia

§. DVODECIMVS.

Post expirationem.

SVbuenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini, suscipientes animam eius, offerentes eam in conspectu Altissimi.

Vers. Suscipiat te Christus, qui vocauit te, & in sinum Abrahamæ Angeli deducant te.

Resp. Suscipientes animam eius, offerentes eam in conspectu altissimi.

Vers. Requiem æternam dona ei Domine, & lux perpetua luceat ei.

Resp. Offerentes eam in conspectu Altissimi.

Kyrie eleyson. Christe eleyson.

Kyrie eleyson. Pater noster.

Et ne nos inducas in tentationem.

Sed libera nos à malo.

Vers. Requiem æternam dona ei Domine.

Resp. Et lux perpetua luceat ei.

Vers. A porta inferi.

Resp. Erue Domine animam eius.

Vers. Requiescat in pace.

Resp. Amen.

Vers.

Vers. Domine exaudi orationem meam.

Resp. Et clamor meus ad te veniat.

Vers. Dominus vobiscum.

Resp. Et cum spiritu tuo.

OREMVS.

Tibi Domine commendamus animam famuli tui N. vt defunctus sæculo tibi viuat, & quæ per fragilitatem humanæ conuersationis peccata commisit, tu veniã misericordissimæ pietatis absterge. Per Christum Dominum nostrum.

Non intres in iudicium cum seruo tuo Domine, quia nullus apud te iustificabitur homo, nisi per te omnium peccatorum ei tribuatur remissio. Non ergo eum, quæsumus tua iudicialis sententia premat, quem tibi vera supplicatio fidei Christianæ commendat: sed gratiã tuã illi succurrente, mereatur euadere iudicium vltionis; qui dum viueret, insignitus est signaculo Sanctissimæ Trinitatis. Qui viuis & regnas in sæcula sæculorum.

Q 4

Deus

Vers.

DEus cui propriū est misereri semper & parcere, te supplices exoramus pro anima famuli tui N. quam hodie de hoc sæculo migrare iussisti; vt non tradas eam in manus inimici, neque obliuiscaris in finem: sed iubeas eam à sanctis Angelis suscipi, & ad patriam paradisi perducī; vt quia in te sperauit, & credidit, non pœnas inferni sustineat, sed gaudia sempiterna possideat. Per Christum Dominum nostrum, &c.

§. DECIMVS-TERTIVS.

Litanie omnium Sanctorum.

KYrie eleyson. Christe eleyson.
Kyrie eleyson.

Christe audi nos. Christe exaudi nos.
Pater de cælis Deus, Miserere ei.
Fili Redemptor mundi Deus, Miserere ei.

Spiritus sancte Deus, Miserere ei.
Sancta Trinitas vnus Deus, Miserere.
Omnes sancti Angeli & Archangeli,
Orate pro eo.

Omnes sancti Beatorum Spirituum
Ordines, orate.

Omnes

Omnes sancti Patriarchæ & Prophetæ,
 Omnes sancti Apostoli & Evangelistæ,
 Omnes sancti Discipuli Domini,
 Omnes sancti Innocentes,
 Omnes sancti Martyres,
 Omnes sancti Pontifices & Confessores,
 Omnes sancti Doctores,
 Omnes sancti Monachi & Eremitæ,
 Omnes SS. Sacerdotes & Leuitæ,
 Omnes sanctę Virgines & Viduæ,
 Omnes Sancti & Sanctę Dei,
 Propitius esto, Parce ei Domine.
 Propitius esto, Exaudi eum Domine.
 Ab omni malo,
 Ab ira tua,
 A potestate diaboli,
 A flamma ignis,
 A pœnis purgatorij,
 A regione vmbre mortis,
 Per natiuitatem tuam,
 Per circumcisionem tuam,
 Per dulcissimum nomen tuum,
 Per magnam misericordiam tuã,

Orate pro eo.

Libera eum Domine.

Per

Q 5

250 AMICI FIDELIS

Per multitudinem miserationum tuarum, Libera.

Per acerbissimam Passionem tuam, Libera eum Domine.

Per sanctissima vulnera tua, Libera.

Per pretiosissimum sanguinem tuum, Libera eum Domine.

Per ignominiosam mortem tuam, Libera eum Domine.

Peccatores, Te rogamus audi nos.

Vt animæ famuli tui parcere & indulgere digneris,

Vt eam à pœnis inferni eripere digneris,

Vt desiderium ipsius adimplere digneris,

Vt Angelorum cœtus ei splendidus occurrat,

Vt ei Patriarcharum & Prophetarum cuneus subueniat,

Vt eam gloriosus Apostolorum chorus excipiat,

Vt candidatorū Martyrū triumphans exercitus eam protegat,

Vt eam Sanctorum Confessorum agmen deducat,

Vt iubilantium Virginum eam

corona

Te rogamus audi nos.

corona comitetur,

Vt ad authorem suum, qui eum
de limo terræ formauit, redire
valeat.

Vt benignus ei aspectus tuus, bo-
ne Iesu, appareat,

Vt ad dexteram in electorū con-
sortium eum recipias,

Fili Dei,

Agnus Dei qui tollis peccata mundi,
Parce ei Domine.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi,
Exaudi eum Domine.

Agnus Dei qui tollis peccata mundi,
Miserere ei.

Pater noster.

Et ne nos inducas in tentationem.

Sed libera nos à malo.

Domine exaudi orationem meam.

Et clamor meus ad te veniat.

Dominus vobiscum.

Et cum spiritu tuo.

OREMVS.

INclina Domine aurem tuam ad pre-
ces nostras, quibus misericordiam
tuam supplices deprecamur, vt animã
famuli tui N. quam hodie de hoc sæ-
culo

Terogamus audi nos.

Terogamus audi nos.

culo migrare iussisti, in pacis ac lucis regione constituas, & Sanctorum tuorum iubeas esse consortem. Per Dominum nostrum, &c.

Absolve, quæsumus Domine, animam famuli tui ab omni vinculo delictorum, ut in Resurrectionis gloria inter Sanctos & electos tuos resuscitatus respiret. Per Dominum, &c.

DE profundis clamaui ad te Domine : Domine exaudi vocem meam.

Fiant aures tuæ intendentes, in vocem deprecationis meæ.

Si iniquitates obseruaueris Domine : Domine quis sustinebit ?

Quia apud te propitiatio est : & propter legem tuam sustinui te Domine.

Sustinuit anima mea in verbo eius : sperauit anima mea in Domino.

A custodia matutina usque ad noctem, speret Israël in Domino.

Quia apud Dominum misericordia : & copiosa apud eum redemptio.

Et

Et ipse redimet Israël, ex omnibus iniquitatibus eius.

Vers. Requiem æternam dona ei Domine.

Resp. Et lux perpetua luceat ei.

Vers. A porta inferi.

Resp. Erue Domine animam eius.

Vers. Credo videre bona Domini.

Resp. In terra viventium.

Vers. Domine exaudi orationem meam.

Resp. Et clamor meus ad te veniat.

Vers. Dominus vobiscum.

Resp. Et cum spiritu tuo.

OREMVS.

SVscipe Domine animam famuli tui, quam de ergastulo huius sæculi vocare dignatus es : & libera eam de locis pœnarum : vt quietis ac lucis æternæ beatitudine perfruatur , & inter Sanctos & electos tuos in Resurrectionis gloria resuscitari mereatur. Per Christum.

FAc quæsumus Domine , hanc cum famulo tuo misericordiam , vt factorum suorum in pœnis non recipiat vicem , qui tuam in votis tenuit voluntatem :

254 AMICI FIDELIS
luntatem : vt ficut hîc eum vera fides
iunxit fidelium turmis , ita illic eum
tua miseratio societ Angelicis choris.
Per Christum, &c.

Vers. Requiem æternam dona ei
Domine.

Resp. Et lux perpetua luceat ei.

Vers. Requiescat in pace.

Resp. Amen.

Anima eius , & animæ omnium fi-
delium defunctorum per misericor-
diam Dei requiescant in pace.
Amen.

Finis Secundæ Partis.





AMICI FIDELIS

VSQVE AD MORTEM

PARS TERTIA,

SIVE

RESOLUTIONES MORALES

In gratiam moribundorum è varijs

Auctoribus collectæ.

Quoniam non rarò contingit vt qui moribundos siue ex officio, siue ex caritate inuisunt, difficultatem patiantur in quibusdam casibus non præmeditatis; existimaui nõ ingratum fore, si non meas, sed doctorum Virorum Resolutiones nonnullas in medium afferrem, quas ad manum haberet Amicus fidelis, ijsque, sicubi aqua hæreret, vti posset. Eos dumtaxat casus attingam qui instituto meo conueniunt, moribundis, vt plurimùm, fauentiores, quique in
Sacra-

Sacramentorum Pœnitentiæ, Communionis & Extremæ Vnctionis administratione accidere solent. Quia verò ab alijs potiùs quàm à me, Resolutiones proficiscentur, Philareti nomen tantisper assumam, & Amici fidelis interrogationibus aliorum potiùs quàm meo nomine respondebo.

PROLOQVIVM.

PHILARETVS.

Quid mihi auctor es, Amice mi, an ut hîc subsistam? & quæ prolixè satis hætenus dicta sunt in moribundorum gratiam, maiore cum otio expendenda tibi relinquam?

AMICVS FIDELIS. Caue amabo, Philarete, caue stadio pedem ante efferas quàm ad metam perueneris: Superfunt conscientiarum nodi non pauci, ijque plusquam Gordiani, qui, non Alexandri gladio, sed acutiore ingenij tui acie dissoluendi sunt. De moribundis adiuuandis telam bellè orditus es, ea nimirum pertexenda est. Ego, rudis licet in hac arte, dubiorum
licia

licia subinde suggeram, quæ tu, vel
perspicuitatis radio illustres, vel dis-
cretionis pectine discrimines.

PHIL. Videtis ne licia tua, Stagi-
ritæ lycea, aut Palladistextrinam plus
æquo redoleant: rem ipsam, non ver-
borum ampullas amant Theologi mo-
rales; proinde, si me audies, altos il-
los dictionis cothurnos exues, soccos-
que humiliores indutus, ad rem quam
paras, de plano aggredieris.

AMICVS FID. Quando ita vis iu-
besvè, non modò soccos, sed & popu-
larem penulam induo.

R

CAPVT



CAPVT PRIMVM.

De Confessione.

*Dubiorum quæ circa Sacramenti
Confessionis administrationem
accidere possunt, Resolu-
tiones moribundis
fauorabiles.*

Quæritur primò :

Quid faciendum Amico fideli, id est Pa-
rocho vel alteri Sacerdoti, qui euoca-
tur ad moribundum qui loqui non potest?

Vt ad hanc quæstionem exactè ma-
gis respondeatur, nonnulla priùs con-
sideranda sunt.

1. An moribundus qui voce non potest, nutibus saltem absolutionem à Sacerdote postulet?
2. An signa saltem aliqua contritionis præsentem Sacerdote exhibeat?
3. An priusquam Sacerdos adue-nerit, voce, vel nutu absolutionem petierit,

tierit, vel saltem signa aliqua contritionis ediderit? idque aduenienti presentique Sacerdoti significant coram ægroto testes idonei?

4. Quid si id ipsum idonei illi testes affirmant Sacerdoti, non coram ægroto, sed in platea, in foro vel in agro? poteritne Sacerdos ille moribundum, si superstitem repererit, præsens præsentem absolueret?

5. Quid si moribundus sensibus omnibus destitutus, neque voce, neque nutu absolutionem petierit, neque signa vlla contritionis ediderit?

Antonius Diana multæ vir eruditionis ac lectionis, Partis suæ tertiæ Tractatu tertio, propositam hanc nostram quæstionem, operosè admodum (allata longa Auctorum variantium serie) vtramque in partem disputat.

Eam ego partem tantummodò quæ moribundo magis fauebit (si tamen idoneis auctorum rationumque adminiculis fulciatur) in medium adferam. Esto itaque,

R. 2

PRIMA

PRIMA RESOLVTIO.

Danda est absolutio ei, qui (loqui cum non possit) eam nutibus à Confessario exposcit.

Pro hac Resolutione stant Doctores benè multi; quam etiam determinant Canones & Rituale Romanum editum iussu PAVLI V. anno 1615. vbi sic habetur:

Quod si inter confitendum, vel etiã antequam incipiat confiteri, vox & loquela ægrum deficiat, nutibus & signis conetur, quo ad eius fieri poterit, peccata pœnitentis cognoscere; quibus vtrumque vel in genere vel in specie cognitis, vel etiam si confitendi desiderium siue per se, siue per alios ostenderit, absoluendus est. Ex quibus verbis, etsi ad sequentes casus aperta satis pateat responsio, ad maiorem tamen firmitudinem sit.

SECUNDA RESOLVTIO.

Moribundus qui lingue vsu destitutus est, si pugno pectus pulsatur, si suspirans oculos in calum attollit, aut aliud doloris signum ostendit, absoluendus est à Sacerdote qui presens hoc videt.

Et

Et ratio est quia signa pœnitentis a Lay-
 animi quæ præsentem mortis periculo *man in*
 eduntur, censerì debent directa ad sa- *Theol.*
 cramentalem absolutionem; cùm in *moralì*
 tali statu constituti optimum animæ *l. 5. rr.*
 suæ remedium desiderare soleant. a *6. c. 8.*

Quod si dubitetur an hæc signa or- *nu. 4.*
 ta sint ex vi contritionis, an ex mœ- *Cha-*
 rore & angustia mortis, ad vitandum *peau-*
 sacrilegij periculum dari poterit ab- *uil tra.*
 solutio sub conditione, si nimirum ta- *de Sa-*
 lis materia sufficiens sit ad absolutio- *cram.*
 nis ministracionem. Ita Layman ibi- *admin.*
 dem & Sancius in selectis disputatio- *tempo-*
 nibus, disp. 44. nu. 35. *repestis*

TERTIA RESOLVTIO.

Quod si moribundus præsentem Sacerdote ne-
 que absolutionem nutu petere, neque pœ-
 nitentis signa edere possit; ediderit verò
 eo absente, idq; idoneis testibus compro-
 betur, poterit tunc Sacerdos præsentem mo-
 ribundum præsentem absolvere.

Pro hac sententia citantur à Diana
 Auctores non infimæ notæ plusquam
 triginta, quos inter est D. Thomas o-
 pusculo 63. §. de Extrema Vnctione.

cuis in Nota testem vnum afferentem a
select. moribundo petitam Confessionem,
disp. 4. aut exhibita ab eo contritionis signa
nu. 3. Confessario aduenienti fidem facere
Zam- debere. a

branus **QUARTA RESOLVTIO.**

de Sa- Quod si testes in platea, vel in agro testentur
eram. Confessario audiuisse se moribundum pe-
tempo- tentem confessionem, aut vidisse contri-
remor- tionis signa exhibentem presentes autem
tis c. 4. non sint quando adest Confessarius; pote-
dub. 2. rit nihilominus Confessarius in verbo eo-
b Hen- rum iam absentium, presens ipse, pra-
riquez senti moribundo absolutionis beneficium
l. 5. c. impertiri.

2 n. 7. Censendus est enim talis æger quasi
Valen- confessus absenti Sacerdoti per nun-
tiat. 4. tium; quæ confessio valida est, dum
disp. 7. modo absolutio non detur in absen-
que. 11 tia, sed in præsentia pœnitentis. Et ita
punct. 1 tenent hanc opinionem Henriquez &
Filliu- Valentia. b

cuis t. 1 Fauent & huic sententiæ Concilia
tract. 7 duo, nempe Arausicanum VII. c. 12.
c. 5. n. & Carthaginense IV. cap. 76. in qui-
122. & bus dicitur absolutè, sufficere Con-
multi fessario ad absoluendum sacramentali-
alij. ter

ter infirmum, si testes dent testimonium de voluntate ipsius.

Videndus & Bonacina tom. i. disp. 2. quæst. 3. puncto 33. nu. 4. Vbi asserit posse absolui pœnitentem qui accersuit Confessarium per nuntium, & adueniente Confessario ita obmutuit, & ita sensibus destitutus est, vt nullum peccatum exprimere, aut doloris signum exhibere possit, nullusque tunc adsit, qui petitionis confessionis fidem faciat. Et ita Romæ sensisse multos DD. testatur. Diana verò ita concludit: ita sentiunt multi viri docti Societatis IESV, & nostræ Religionis.

Amicus fidelis non solum potest, sed etiam tenetur adhibere absolutionem in casibus supradictis.

NOTA I.

Quia cum sententiæ moribundo tam fauorabiles multorum auctoritate factæ sint probabiles, ideoque licitæ; secundum illas debet operari, siue ex caritate, siue ex iustitia (si fortè Pastor sit:) debet inquam, etiamsi in contraria esset sententia. Potest enim quis

R 4

specu-

speculatiuè sententiam vnã tenere,
& contra illam practicè operari; (vt
patet in Confessario qui absoluit pœ-
nitentem secundum sententiam quã
tenet probabilem, licet sententiæ ab-
soluentis contrariam.) Liceat ergo
mihi dicere cum Vasquez : Quod si
potest quis has sententias sequi, quare
hoc præsidio priuare debet ægrotum?
meo iudicio inquit, licitum non est
negare absolutionem tali tempore,
etiam ei qui contrariam sententiam
sequitur, & de eo qui negaret, dici
posset reum esse animarum. *a*

b Emanuel Quid iuuat hîc longam seriem idem
sententiarum attexere?

Sa,
verbo
dubiũ

n. 3.
Angel.
verb.
opinio.

nu. 2.
Sylue-
ster
verbo

eodem.

NOTA 2.

Auctoritas vnus Doctoris probi &
docti, quæ rationi alicuius momenti
innititur, ita vt nihil sit conuincens
pro opposita parte, sententiam facit
probabilem: quia auctoritas talis Do-
ctoris est non leuis ratio credendi, &
proinde opinio illi innitens est proba-
bilis. Videndus *b*

AMICVS

Quid dicendum de eo qui sensibus omnibus destitutus, neque voce, neque nutu absolutionem petit, neque vlla edit signa contritionis? an eiusmodi absoluendum putas?

RESOLVTIO QVINTA.

PHIL. *Quod si moribundus sensibus omnibus destitutus neque voce, neque nutu confessionem petierit, neque signa vlla contritionis exhibuerit (si tamen probè ad id temporis ac Christianè se gesserit) poterit ei sub conditione dari absolutio.*

Fateor esse non paucos qui contrarium ideò mordicus teneant quod in tali moribundo nulla signa externa aduertant, quæ confessionis materiam sensibilem efficiant, qualis tamen esse debet materia Sacramentorum; quare verentur, ne proferatur forma, vbi non est materia, & sic non efficiatur Sacramentum, sed sacrilegium admittatur.

Sed dici potest, inquit Diana, quod in hoc casu adest aliquo modo præsens materia sensibilis, per testificatio-

nem & famam probitatis dicti moribundi, qua nimirum hic & nunc censetur facere quod bonus quilibet Catholicus in eiusmodi articulo facere cōsuevit, atque adeò hic & nunc prout potest confiteri: Periculum verò sacrilegij nullum esse potest vbi proferatur forma sub conditione, si nempe materia idonea subsit; alias, non.

Sed nolim ego quemquam de suæ opinionis statione deicere, hoc vnum ago, vt, quando moribundorum partes promouendas suscepi, nonnullos in medium producam qui eis etiam in hoc ipso casu fauent non parum, atque adeò absolutionis beneficium ijs impendendum censent.

Agmen ducat (tanto nec cedit honori) S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus, perillustris familiæ D. Dominici clarum iubar, Doctor ille (vt refertur in Sacerdotali Romano impresso Venetijs, anno 1569. pag. 62.) ita loquitur: Infirmus in periculo mortis constitutus, potest absolui à quolibet Sacerdote de quolibet peccato, &c. si iam amisit vsum rationis,

tionis, puta quia phreneticus, si bene
 vivebat, & vt bonus fidelis frequenta-
 bat confessionem, & communionem
 & huiusmodi, quamuis non petierit
 Sacramentum; quia ex insperato talia
 acciderunt.

Plerique omnes è sanctissima D.
 Francisci Religione asserunt hanc sen-
 tentiam, sententiam esse Scoti, eam-
 que Patres Recollecti Theſibus im-
 pressis propugnarunt varijs in Capitu-
 lis Prouincialibus; Cameracensi, an-
 no circiter 1628. Insulensi anno 1631.
 &c.

Molfesius vnus è Doctoribus Cle-
 ricorum Regularium a notat mul-
 tos tenuisse hanc sententiam: & qui-
 dem è Religione sua, D. Gabrielem
 Lottherium: è Societate I E S V, P.
 Salmeronem: è Capucinis, P. Lu-
 pum.

a In
 to. I.
 tract. 7
 c. 5. nu.
 48. &
 49.

Quod si auctoritas vnus Doctoris
 probi & docti, vt vidimus, faciat sen-
 tentiam probabilem, quid opus alios
 operosè recensere?

Addam tamen pro coronide, quid
 de toto hoc casu sentiat grauis Au-
 ctor

mori-
 c cen-
 t Ca-
 facere
 prout
 o sa-
 ofer-
 empe
 suæ
 num
 par-
 ullos
 m in
 tque
 im-
 ho-
 pus
 D.
 ille
 ano
 pag.
 eri-
 sol-
 bet
 ra-
 nis,

a In *Et*or Homo bonus. *a* Attendat, quæ-
*exami-*so, Amicus fidelis, & hinc discat quid
*ne Ec-*agere possit aut debeat si quando ca-
clesia sus ille sibi contigerit: Prudenter, in-
part. 1. quit, aget Parochus, si favorabiliori il-
tra. 7. li opinioni adhareat, qua sentit absolu-
c. 18. tionis beneficium moribundo impendi pos-
q. 84. se, etiamsi nullum confessus sit peccatum,
 nec Confessarium petierit, nec indicia ex-
 hibuerit, ex quibus actus contritionis vel
 attritionis argui possit, modo talis in mor-
 tis articulo constitutus, Christiano more vi-
 uere soleret, bonusq; ac fidelis homo aestima-
 retur.

Quod quidem placitum, in praxi referunt
 amplexum esse CLEMENTEM VIII. Pon-
 tificem Maximum & prudentissimum vi-
 rum. Cum enim quidam ex fabrica Diui
 Petri praeceps ruisset, & illum cadentem vi-
 disse, absolutionem ei dedit, dicens: Si
 es capax, absoluo te à peccatis tuis.
 Quæ sententia, illa sanè ratione confirma-
 tur, quod in necessarijs ad salutem pars tu-
 tior eligenda, & certiori periculo occurren-
 dum est.

Cessare verò dicitur vel irreuerentie
 Sacramenti, vel sacrilegij periculum, tum
 condi-

conditione apposita, tum auctoritate Docto-
rum. Ita ille.

AMICVS FIDEL. Amo te, mi Ho-
mo bone, de hac tua tam bona, tam
amica moribundis Resolutione.

*Fidelis Amici dubijs alijs respon-
det Philaretus.*

FIDELIS AMICVS.

Acet in platea moribundus qui vul-
nus lethale accepit: Confessarium
inclamat, verum si confitenti aures
accommodauero, medicina iam iam
necessaria, adhiberi non poterit: si
verò adhibeatur, confiteri postea non
poterit.

Quid ergo mihi faciendum est?

PHILARETVS. Peccatum vnum at- a Ita
que alterum secretò audias, eumque cense-
statim absolvas: vbi verò Medici ac Diana
Chirurgi medicamenta sua adhibue- part. 5.
rint integram vulnerati confessionem tract. 3
(si superstes erit) iterum audias, ite- resolu-
rumque absolvas. 4 tione

FIDEL. 56.

FIDEL. AM. *Quid si Medici tantisper desistere nolint, aut abesse non possint à vulnerato?*

a Ita PHIL. Tunc satis erit infirmo dicere
cū Dia- se peccatorem esse, cū non teneatur
na, sã- coram alijs peccata sua, quamuis leuia,
cius in manifestare. a

select.

edit. FIDEL. AM. *Quid faciendum ijs qui ver-*
Lugdu. *santur in evidenti vita periculo, v. g. in*
dis. 44 *nausfragio, peste & bello?*

n. 35. PHIL. Suffecerit vnum dumtaxat pec-
catum declarare omissis etiam gra-
uioribus: imò si tam præsens sit peri-
b Hur- culum, vt ne vnum quidem in parti-
tadus culari declarare possint, dato signo a-
de Sac. liquo pœnitudoinis, quale esset genu-
pœnit. flexio, vel pectoris percussio, absolui
disp. 8. poterunt hac formula: *Ego vos absoluo*
diff. 2. *à peccatis vestris.* b

item

disp. 9. FIDEL. AM. *Quid si vnicus sit peste in-*
diff. 10 *fectus, à quo sibi Confessarius malè me-*
tuat, tenebitur ne illum integrè confiten-
tentem audire?

PHIL. Videtur tunc iusta de causa
dimidiari posse materialiter, confessio:
Quia

Quia sicuti, secundum omnes, excu-
 satur pœnitens ab integritate confes-
 sionis quando ex illa meritò timet
 damnum corporis, rei familiaris vel
 honoris, ita etiam excusatur Confes-
 sarius ab audienda integra confessio-
 ne, ex qua sibi meritò mortem à pœ-
 nitente metuit. *a* Atque hoc dictum
 puta in gratiam eorum qui necdum
 tanta flagrant charitate, vt cum vitæ
 suæ temporalis dispendio tranquillita-
 ti ac securitati proximi sui consulere
 in animum inducant.

*a Zā-
 branus
 de Sac.
 Pœnit.
 cap. 4.
 dub. 6.
 n. 12.
 Laymā
 l. 5. 11.
 c. 13.
 nu. 4.
 & alijs.*

Potest Confessarius absoluerè in-
 firmum quem credit statim moritu-
 rum, audito vno tantùm peccato.

Idem dicendum quando infirmus
 nimis fatigatur in explicandis suis pec-
 catis. *Bonacina tom. 1. fol. 212. num.
 18. & 19.*

Caueat tamen pœnitens plura pec-
 cata reticere quàm postulet iusta cau-
 sa, aut periculum imminens, quia cō-
 fessio integrè faciendā est quantum
 moraliter fieri potest. *Ibidem num. 20.*

NOTA.

Notandum eos qui iusta de causa
 con-

esper de-
 à vul-
 dicere
 neatur
 leuia,
 qui ver-
 g. in
 pec-
 gra-
 peri-
 parti-
 gno a-
 genu-
 solui
 soluo
 ste in-
 è me-
 fren-
 causa
 ssio:
 Quia

272 AMICI FIDELIS
confessionem materialiter integram
non fecerunt, debere postea, si reua-
luerint, aut periculum euaserint, inte-
grè iterum confiteri & absolui.

FID. AMICVS. *Quando? statimne?*

PHIL. Data bona opportunitate,
non dico statim nisi instet tēpus mor-
tis, aut præceptum annuæ confessio-
nis: item nisi sumenda Eucharistia,
suscipiendæ periculosæ peregrinatio-
nes, aut aggredienda alia cum eviden-
ti vitæ periculo. *Vide eundem folio. 212.*
num. 21. Item tom. I. fol. 217. num. 12.
& 13.

FID. AMICVS. *Tenetúrne lethaliter vul-
neratus vel aliter moribundus, remittere
satisfactionem sibi debitam pro accepta
iniuria?*

PHIL. Odium & rancorem & signa
externa rancoris contra inimicum re-
mittat, actionem verò iniuriarum si-
ue satisfactionem pro iniuria accepta
sibi debitam à legitimo iudice petere
& expectare potest.

Audiendus Iacobus Manchinus in
practica visitandi infirmos. Pract. 7.
dub.

dub. 5. n. 7. Non benè agunt, inquit, aliqui Confessarij, pœnitentes scrupulis afficientes, dum dicunt illos non posse saluari nisi etiam coram Iudice actiones iniuriarum remittant, cùm hoc loqui liquidè falsum sit.

Ita sensent etiam Emmanuel Sa, verbo iniuria. nu. 1. Bannes & Aragon in 2. 2. quæst. 25. art. 9. & alij.

Et ratio est, quia vindicta legitima ad virtutem iustitiæ pertinet, & per se decens est malefactorem puniri, vt alij eius exemplo in posterum timore pœnæ ab iniuria inferenda coerceantur. Quia verò periculum est, ne ideò tantùm vindicta expetatur, vt lædenti malè sit, & læsus in illo lædentis malo, tanquam in suo bono acquiescat (quod est contra caritatem proximi, nec tã actus iustæ vindictæ, quàm odij) ideò conari debent Confessarij vt vtrumque à moribundo obtineant; id est, vt non modò odium & rancorem, sed & actionem iniuriarum læsus remittat.

FIDELIS AMIC. *Quid censendum de puero moribundo?*

S

PHIL.

PHIL. Si fateatur peccatum veniale vel mortale, & dubitatur an habeat usum rationis necne, absolui debet sub conditione, ne adeat periculum æternæ damnationis. Ita Bartholomæus de Medina & multi viri docti.

FIDEL. AM. *Quisnam Sacerdos in mortis articulo potest moribundum absolvere?*

PHIL. Non tantum bonus & pius, etiam malæ vitæ, nominatim excommunicatus, imò Hæreticus & Schismaticus, moribundum potest absolvere. Citantur passim pro hac sententia, Doctores plurimi, & fauet Tridentinum quod Sess. 14. c. 7. ita statuit: Piè admodum in Ecclesia Dei custoditum semper fuit, vt nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideò omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis & censuris absolvere possunt.

Voluit nimirum Ecclesia saluti animarum consulere, ideoque amplissimam iurisdictionem concedit Sacerdotibus omnibus, qui ratione ordinis sui illius capaces sunt. Potest ergo

go

go moribundus, quando alius non a Pra-
 adest, ab ijs absolutionem petere. Au- *positus*
 diendus hic Ioannes Præpositus, a *3. part.*
 defint, inquit, alij, Pœnitens non tan- *q. 7. de*
 tùm potest, sed etiam debet petere hoc *mini-*
 Sacramentum ab excommunicato, i- *stropas-*
 mò Hæretico, modò non sit periculum *tuit*
 subuersionis: quia cùm constet eos *dist. 5.*
 validè posse absolvere, tenetur æger
 in mortis articulo constitutus, saluti
 suæ per hoc remedium consulere, &
 præcepto confessionis satisfacere.

Notandum tamen Sacerdotes illos
 siue malos, siue præcisos ab Ecclesia
 posse quidem validè, sed non licitè
 moribundum absolvere, nisi priùs per
 contritionem, vel aliter iustificentur;
 sed viderint ipsi, æger interim, ab ip-
 sis petit quod iustè potest petere, &
 quod possunt ipsi, si velint, non tan-
 tùm validè, sed & licitè præstare.

Quod si ægroti periculum ita vr- *b Hur-*
 geret, vt præ temporis angustijs mali *tadus*
 illi ac præcisi Sacerdotes nec conteri *de Sa-*
 nec iustificari possent, non tantùm va- *cram.*
 lidè sed & licitè in tali statu constituti, *Pœnit.*
 moribundum absoluerent. *b* *diff. 10*

FIDEL. AMI. *Quoto die infirmitatis dari potest absolutio à reſeruatſ?*

PHIL. Non potest dari ſimpliciter à prima die infirmitatis, ſed à prima die quæ conſtituit infirmum, in mortis periculo. Ita Sancius in ſelect. diſp. 12. n. 5. Cæleſtinus in Compendio Theol. moral. tract. 1. c. 13. quæſt. 1.

Nec debet expectari extremum omninò periculum aut vltimus mortis articulus ad hoc vt poſſit æger ab omnibus caſibus à quolibet Sacerdote abſolui, ſed ſufficit vt verè verſetur in periculo. Ita Merollatom. 2. diſp. 4. cap. 6. Præpoſitus in 3. partem quæſt. 7. de Sacram. pœnit. dub. 6. nu. 43. & alij.

FIDELIS AM. *Quid ſi peccata reſeruatã annexam habeant excommunicationem maiorem?*

PHIL. Diana parte 5. Tract. 3. Reſolutione 67. Quando, inquit, ſimplex Sacerdos in articulo mortis abſoluit pœnitentem ab excommunicatione maiore, caueat ne abſoluat non præmiſſa ſatisfactione, ſi forſitan ea fieri debeat. Iuxta Clement. 1. de Hæret. Quod

Quod si commodè fieri non potest, *lochius* absoluat cum debita cautione, secun- *in pra-*
 dum Glossam eiusdem Clem. §. Ve- *xi The-*
 rum, versu, Ea tunc. Quæ cautio fiat *moral.*
 per fidei iussores, vel cum pignore, si *p. 1. q. 2*
 eam potest dare, sin minus, det saltem *n. 136.*
 eam quam dare potest videlicet iura- *Finellus*
 toriam; si verò casus necessitatis vr- *de cas.*
 get, nihilque horum fieri potest, ab- *refer. c.*
 soluat: cùm ad impossibile nemo te- *8. n. 9.*
 neatur. Debet insuper Confessarius *Zam-*
 imponere onus hoc pœnitenti, vt ces- *branus*
 sante morbo præsentet se Superiori *de Sac.*
 qui extra casum illum de iure poterat *pœn. c.*
 eum absolvere, commonefaciendo *4. n. 6.*
 quod si se non præsentauerit, in ean- *b San-*
 dem censuram incurret. *a* *ctorius*

NOTA. *de cas.*

Absolutus autem à reseruatis quæ *Papa-*
 censuram annexam non habent, etiã si *libus c.*
 conualuerit non tenetur se vlli Supe- *13. n.*
 riori præsentare: quia ab eis absolutè *147.*
 sine tali vltiori obligatione absolu- *Nauar*
 tus est. *b* *rus in*

FIDEL. AMIC. Quid censendum de dam- *Ma-*
 natis ad mortem? *nuali c.*

S 3 PHIL. 26. n.

26. Guilliel. Mercerus in 3. p. D. Th. q. 9. art. 6.

- a Hur- PHIL. Afficiendi extremo supplicio
tadus sunt in mortis articulo constituti, a-
de Mē- deoq̄ue lata sententia, & instante exe-
doz a cutione, in eo statu, in quo nulla est
volu. 1. reseruatō, possuntq̄ue à quolibet Sa-
de fide. cerdote absolui. a
- dis. 84 FIDEL. AM. *Quid censendum de mulie-*
ser. 8. *ribus pregnantibus?*
- §. 125. PHIL. Post octauum mensem à con-
b Ab- ceptione, illæ quæ difficiles & pericu-
bas in losos partus expertæ sunt: item illæ
caput quæ primò pariunt, censentur versari
pasto- in mortis articulo; proinde absolui
valis. n. debent sicut alij moribundi in pari pe-
3. de riculo constituti. b
- officio FIDEL. AM. *Quid agendum Parocho ce-*
ordi- *lebranti qui euocatur citò citò ad mori-*
narij. *bundum?*
- Petrus PHIL. Relinquat (inquit Zambra-
Bello- nus c) missam inchoatam, etiam post
chius in consecrationem, seruante interim ali-
praxi quo sacram Eucharistiam, secum verò
moral. deferat aliquam formulam consecra-
The. p. tam, & extremam Vnctionem: au-
I. q 2. dita
Hur- dita
tadus de Mendoza loco supracitato. c Zambranus
de Sac. pœnit. c. 4. d. 6. n. 5.

data confessione Eucharistiam illi præbeat, Extremamque Vnctionem administret, & ad sacrificium perficiendum reuertatur, &c.

Ex his apparet potiori iure Confessarijs abrumpenda negotia alia omnia, vt euocati, citiùs ad moribundos conuolent.

FIDEL. AM. *Quid censendum de Laicis, qui interdum moribundos à censuris absoluunt?*

PHIL. Certum est confessionem illam quæ fit interdum ab infirmis Laico, defectu Sacerdotis, siue contritionis a Lay-
 maioris excitandæ, siue etiam conso-
 lationis aut consilij petendi gratia, non esse confessionem sacramentalem; & qui peteret absolutionem à Laico, esset sacrilegus; & Laicus præsumens dare fieret irregularis. Constat enim ex Trid. sess. 14. c. 6. can. 10. de fide esse, solos Sacerdotes, & non alios, huius Sacramenti ministros esse.

Posse verò Laicum, moribundos absoluere à censuris, vt non careant Ecclesiasticâ sepulturâ, affirmant non pauci, nec infimæ notæ Doctores.

Philibertus Marcinus in suis commentarijs de bello diuino seu de peste part. 3. c. 12. nu. 3. & seq. ita ratiocinatur. Si Ecclesia pro articulo mortis, confert iurisdictionem absoluendi à peccatis & censuris cuiuslibet capacitalis iurisdictionis, quia hoc postulat Ecclesiæ benignitas & fauor animarum, quandoquidem Laicus sit capax iurisdictionis absoluendi à censuris, (si Papa velit illi eam demandare) ergo conijciendum eam eidem demandasse, atque hanc esse piam illius mentem, ne excommunicatus post mortem priuetur communibus Ecclesiæ precibus & suffragijs atque missæ sacrificio.

Sed obseruandum cum Sanchez in summa tom. 1. l. 2. c. 13. nu. 13. expedire vt post mortem obtineatur noua absolutio ab illo cui excommunicatio reseruata erat, si commodè fieri possit. Quia si opinio ista non esset vera, careret absolutio valore suo, & proinde non valerent absoluto Ecclesiæ suffragia: modis autem omnibus consulendum est mortui securitati.

FIDE-

FIDELIS AM. *Quid censendum de moribundis qui alijs famam vel pecuniam iniuste abstulerunt?*

PHIL. Infirmus qui alteri famam vel pecuniam iniuste abstulit, statim ante mortem, si commodè potest, restituat; neque hæredibus eam curam in testamento demandasse sufficit. Ratio est, quia iste qui per hæredes tantum restituere vult, non habere nisi conditionatam voluntatem restituendi, si videlicet moriatur, aliàs non. Vnde patet malè ad absolutionem dispositum esse, vt non multis probat Leo de Officio Confessar. Recollect. 26. nu. 103. Citat autem Guittierez, Azoriũ, Reginaldum & Sayrum. Legendus & Toletus l. 5. instruct. Sacerdotum cap. 24. nu. 6. Qui cum possit & debeat, inquit, non vult restituere, mortaliter peccat, & quo magis differt, grauius peccat, & quoties occasio commoda restituendi se offert & non statim vult restituere, aut non curat aduertere, mortaliter rursus peccat. Vnde multum falluntur, qui debita cum possint nolunt soluere, differentes vsque ad

S 5

mortis

mortis testamentum, & qui sic discedunt, secundum communem sententiam, in peccato discedunt. Peccant etiam, inquit, qui bona habent dubia, & de quibus certi non sunt an propria sint, & differunt id elucidare vsque ad testamenta, in quibus etiam vt dubia relinquunt, cùm teneatur statim, cùm commodè possunt id declarare, & si fortè debent, restituere. Hactenus Toletus.

FIDEL. AM. *Heu! hoccine est resolutiones seligere moribundis fauentiores?*

PHIL. An nescis quia meliora sunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oscula odientis? *Proverb. 27.* Audi quid Psalter Regius: Corripiet me iustus in misericordia, & increpabit me: oleum autem peccatoris non impinguet caput meum. *Psal. 140.*

De dubijs occurrentibus circa communionem moribundorum.

PHILARETVS.

Vaticũ sacratissimi Corporis Domini nostri Iesu Christi, summo studio

studio ac diligentia moribundis procurandum est, ne fortè contingat illos tanto bono priuatos decedere.

Debet autem Venerabilis Eucharistia dari per modum Viatici, cùm probabile est, quod eam moribundus non poterit amplius sumere. *a Ri- tuale Rom.*

AMICVS FIDELIS. *Quenam est differentia inter communionem ordinariam, & inter communionem per modum Viatici?*

PHIL. Per communionem ordinariam, petimus à Deo gratiam benè viuendi: per hanc autem, gratiam benè moriendi. Id ipsum sonare videtur nomen Viatici: quid enim est Viaticum? nihil aliud est quàm annona siue commeatus ad futurum iter. Longa via est à terra in cælum, quo moribundus properat; ideò prudenter Sancta Mater Ecclesia filios suos decedentes, sacrae Eucharistiæ Viatico prosequitur, vt tantò securiores ex hac vita demigrent, quantò potentiore commeatu instruuntur.

AMI-

284 AMICI FIDELIS

AMICVS FIDEL. *Datúrne alia verborum forma Viaticum quàm communio ordinaria?*

PHIL. Forma dandi Viaticum hæc est: *Accipe frater (vel soror) Viaticum Corporis Domini nostri Iesu Christi, qui te custodiat ab hoste maligno, & perducatur in vitam eternam. Amen.* Forma verò communionis ordinariæ est: *Corpus Domini nostri Iesu Christi custodiat animam tuam in vitam eternam. Amen.*

AMICVS FID. *An qui manè communicavit, vel Missam dixit, & postea eodem die incidit in periculum mortis possit adhuc non ieiunus sacrum Viaticum sumere?*

PHIL. Potest. Et ratio est, quia licet manè Venerabilem Eucharistiã sumpserit, at non per modum Viatici, ad quod tamen lege Diuina secundum plurimos in articulo mortis obligatur.

AMICVS FID. *Nonne hoc est contra præceptum de non communicando bis in die, & non nisi à ieiuniis?*

PHIL. Præceptum communicandi in articulo mortis est diuinum, & ideo maioris

maioris ponderis quàm Ecclesiasticæ
illæ prohibitiones. a

Notandum verò non esse hoc fa-
ciendum, nisi prudenter timeatur mor-
ibundum eodem die decessurum, &
non futuram illi postmodum aliam
communicandi opportunitatem.

AMIC. FID. Si duret periculum, poterit-
ne eo durante, non ieiunus per modum
Viatici sæpiùs communicare?

PHIL. Ita existimo. Cùm enim mor-
ibundus valdè indigeat tanti Sacra-
menti subsidio ad vincendas occurrē-
tes tentationes, & ad superanda pec-
candi pericula, non videtur pia mater
Ecclesia nos velle adstringere ad vni-
cam talem communionem cum no-
stro tanto spirituali dispendio; maxi-
mè cùm in secunda & tertia vice ea-
dem maneat quæ in prima necessitas.

Adde Concilium Constantiense sess.
13. dicere absolutè, (sine limitatione
ad vnam tantùm vicē) in casu infirmi-
tatis Eucharistiã dari posse non ieiuno.

Huius sententiæ assertores multi, vt
ex sequentibus patebit.

AMICVS

Gaspar

Hur-

tado de

Eucha.

diff. 10

diff. 2.

Turia-

nus in

summa

part. 2

c. 58.

dub. 2.

Belliso-

nus in

3. part.

to. 2. q.

88. ar.

II. no-

tabili

2.

a Sua- AMICVS FID. *Quanta debet esse tempo-*
 rez in ris intercapedo inter vnam & alteram
 3. part. communionem?

tom. 3. PHIL. Aliqui requirunt decem aut
 dist. 68 octo dies à prima communione, vt
 sec. 4. moribundus iterum possit non ieiu-
 Henri- nus communicare. a

quez in Syluius putat post septem dies id
 sum. l. licere. b

8. c. 5. Existimant alij dies sex interme-
 b Syl- dios sufficere. c Imò si quis assuetus
 uius in frequenter communicare aut sacrifi-

3. part. care propter deuotionem ac deside-
 q. 80. rium agrè abstineat, permitti ipsi po-
 art. 9. test vt altero statim die communicet

c Fil- non ieiunus. Ita Paulus Layman in
 liucius Theol. morali lib. 5. tract. 4. cap. 6.
 tom. 4. nu. 20.

c. 8. n. Horum ratio esse videtur quod in
 238. secunda, tertia & subsequentibus vici-
 Tabie- bus, eadem maneat infirmo necessitas
 na ver- resistendi tentationibus, quæ in prima.
 bo cõ- Ergo indiget eodem subsidio, quo
 muni- bona mater eum nequaquam priuare
 care n. intendit.

48.

Armil. nu. 18. *Possevinus de offic. curat. cap. 8.*
 nu. 21. & alij.

Nota

Nota Sacerdotem in articulo mor- a Lay-
tis constitutum, posse celebrare non man l.
ieiunum, vt se ipse communicet: in- 5.rr.4.
tellige, si aliunde sacram Eucharistiam c.6. n.
habere nequeat. Nec id mirum vi- 20.
deri debet: si enim Laico non ieiun- Zam-
no, per modum Viatici communica- branus
re licet: cur non liceat non ieiuno Sa- de Sac.
cerdoti celebrare vt sibi Viaticum Eucha.
comparat? maximè cùm ei etiam cõ- c.3. du.
cedatur celebrare nō ieiuno vt quem- 6. n. 1.
uis alium in mortis articulo commu- b Zā-
nicet. b branus

AMICVS FID. *Quid agendum cum deli-* c.6. de
rantibus? Eucha.

PHIL. Potest Sacerdos præbere Via- dub. 6.
ticum deliranti qui propter febrim in Maior.
amentiam incidit: maximè si ante in 4.
delirium illud desiderauerit aut con- dist. 9.
tritionis signa ediderit. Adde, si luci- qu. 3.
da interualla habeat, deuotionemque Iacobus
ostendat, nec vllum irreuerentiæ aut Gra-
indignitatis periculum meritò timea- nado
tur. c de Sa-
cram.

AMICVS

in 3. part. contr. 6. tra. 10. disp. 8. nu. 12. c. D.
Thom. in 3. part. quest. 88. art. D. Rituale Roma-
num de Sacram. Eucharistia.

AMICVS FID. *Dandane est Eucharistia
damnato ad mortem etiam non ieiuno?*

PHIL. Audi quo modo loquatur Saneius in select. disp. 40. Ego, inquit, si supplicium differri non posset, reum communicarem, etiamsi post horam ducendus esset ad patibulum: nec ex eo reuerentia Sacramentj minuitur, cum Christus illud instituerit ad nostram vtilitatem, & non cohæreat suscipi irreuerenter & ob nostram vtilitatem sumi, si alias communicans debitam dispositionem habeat.

a Zä- Ratio autem cur damnati ad mor-
brannus tem debeant, etsi non ieiuni, commu-
de Sac. nicare, est, quia violenta mors non
Eucha. tollit in eis obligationem quam ha-
cap. 5. bent ex præcepto diuino communi-
nu. 6. candi in articulo mortis. Pro hac sen-
tentia Zambranus a citat Nauarrum,
Suarez, Henriquez, & alios.

AMICVS FID. *Scire velim, an qui post
sumptum Viaticum peccauit mortaliter,
teneatur illud iterum sumere; sicuti te-
netur iterum confiteri?*

PHIL.

PHIL. Non tenetur. Et ratio diuer- a Hur-
 sitatis est, quia confessio medium ne- radus
 cessarium est ad salutem pro omni de Sa-
 tempore quo quis lapsus est in pecca- cram.
 tum mortale: At verò Eucharistia, Eucha.
 non est necessaria necessitate medij, diff. 10
 sed necessitate præcepti, cui præcepto diff. 2.
 factum est satis communicando semel Belliso-
 in mortis articulo, proinde præceptum niur tr.
 illud non obligat amplius pro præ- 2 in 3.
 senti articulo, sed bene pro alio, a part.
 q. 80.

AMICVS FID. *Quilibetne Sacerdos in art. 11.
 mortis articulo Venerabilem Eucharis- & alij.
 tiam administrat?*

PHIL. In articulo mortis sumi potest
 Eucharistia à ministro quocumque, à
 quo in eodem articulo recipi potest
 absolutio.

Audiendus hîc Chapeauville no-
 stras, de Sacram. Eucharistiæ quæst. 6.
 ubi sic ait.

Veluti pro Sacramento Pœniten-
 tiæ, in necessitate vocantur quilibet
 Sacerdotes, quantumuis præcisi & He-
 retici: ita etiam vocari possunt pro
 Sacramento Eucharistiæ: neque hoc

T in

rez 3. in fauorem Hæreticorum & eiusmo-
p. q. 82 di malorum ministrorum, sed in fauo-
ar. 3. rem fidelium in necessitate existentium:
diss. 72 sic enim censuræ latæ sunt in odium
sect 4. iniquorum, vt non cedant in grauissi-
Ledef- mum detrimentum bonorum fide-
ma de lium: ita ille. Vide Suarem & Ledef-
Extr. mam. a

Vnctio. AMI. FID. *Quomodo ministranda Vene-
du. vlt. rabilis Eucharistia tempore contagioso?*

b Iaco- PHIL. Peste laboranti, ad vitandam
bus Mā labem, potest sacra hostia, non digi-
cinus in tis, sed honesto nitidoque aliquo in-
tr. visi- strumento ministrari. b

tandi Nota Sacerdotem posse reseruare
infr. p. partem hostiæ, eamque dare moribun-
8. d. 18 do, si alia non suppetat. c Neque e-
Iacob. nim hoc obstat integritati sacrificij, ad
Mar- quam solùm requiritur vt consum-
chan- ptio fiat vtriusque speciei; quod verò
tius tr. aliqua pars vnus speciei alteri tribua-
6. de tur (licet id fieri sine causa malum sit)
Extr. potest sine aliquo rationabili, vt hîc,
Vnct. cohonestari.

vbi) - 2H & illi q. 12. in cap. 2. AMI-
varios modos recenset ministrandi Euchar. sine pe-
riculo contagionis? c Paludanus in 4. dist. 12. q. 1.
ar. 5. con. 2. Syluest. verbo Euch. q. 10. §. 7. & alijs.

AMICVS FID. Quid faciet moribundus a Mer-
 si nullus omnino adsit sacerdos qui ei sa- cerus de
 cram hostiam prebeat? Sac. q.

PHIL. Laicus, & potiori iure Sacer- 82. ar.
 dos, si minister idoneus non adsit, po- 3. n. 3.
 test seipsum communicare exemplo Regi-
 Mariæ Scotiæ Reginæ. a sup. o. n. 3. naldus

AMIC. FID. Quid faciendum cum agro to. 2. l.
 qui laborat difficultate aliquid trans- 29. c. 5
 mittendi? iustitia boue bulli 6. 9. 5. n.

PHIL. Potest ei dari communicatio im- 39.
 posita hostiæ particula in cochleari Iacobus
 cum vino. b 7. 2. 2. 2. 2. 2. 2. 2. 2. 2. Gra-

Ita & metu contagionis dari pote- nado de
 rit peste infecto Venerabilis hostia in Sac. in
 cochleari argenteo. 3. part.

contr. 6
 tract.

De dubijs occurrentibus circa ad- 12. dis.
 ministrationem Sacramenti 1. n. 4.

Extremæ Vnctionis. b Præ-
 positus

PHILARETVS.
 R Enouandum est quotannis oleum in 3. p.
 infirmorum, vetusque in Ecclesia D. Th.
 comburendum, vel in piscinam inj- 9. 80.
 ciendum. dub. 2.

Si Suarez
 item in 3. part. dis. 67. sect. 6. §. secundus casus.

E Ri- Si tamen nullum sit oleum nisi ve-
tuali tus poterit eo inungi moribundus ;
Roma- ideoque asservari solet vsque dum no-
no. uum habeatur.

Parochus licite potest oleum oli-
 uarum, non consecratum miscere con-
 secrato, quando timet ne consecratum
 non sufficiat: vtrumque enim per ad-
 missionem censetur consecratum, mo-
 do illud quod additur sit minoris
 quantitatis quam consecratum. Bo-
 nacina to. I. fol. 309. n. 8.

Quinque corporis partes, præcipuè
 vngi debent, quas veluti sensuum
 instrumenta homini natura tribuit;
 nempe oculi, aures, nares, os, & manus.

Vnctio in pedibus & renibus pro
 loci consuetudine adhibenda vel o-
 mittenda. Renum tamen in fæminis
 honestatis causa omitti debet.

Manus verò, quæ reliquis infirmis
 interiùs vngi debent, Presbiteris ex-
 terius vngantur, quia semel in palma
 inuncti sunt, cùm sacerdotio initia-
 rentur.

AMICVS FID. *An omnes illi sensus ex-
 terni semper inungendi?*

PHIL.

PHIL. Licebit Parocho, in morbis a Lay^o
 contagiosis inungere vnicum corpo *man in*
 ris sensum, verbi gratia, manum so- *Theol.*
 lam, vel oculum solum ac vti formu- *moral.*
 la hac verborum generali: Per istam *l. 5. tr.*
 sanctam Vnctionem & suam pijsi- *8. c. 3.*
 mam misericordiam, indulgeat tibi *nu. 3.*
 Dominus quidquid per visum, audi- *Co-*
 tum, odoratum, gustum & tactum de- *ninch.*
 liquisti. *a*

Philibertus Marchinus, licet in alia *D. 3.*
 sit opinione, nihilominus casus tres *Sylvius*
 ponit in quibus id liceat. *in 3. p.*

Primus est, si periculum sit ne in- *q. 22.*
 firmus moriatur antequam absoluan- *art. 7.*
 tur omnes vnctiones. *adde*

Secundus, si Minister nimum sibi *his*
 metuat à contagione. *Theo-*

Tertius, si multi alij inungendi, *logos*
 quibus omnibus fieri satis non pote- *Loua-*
 rit, si quinque vnctiones distinctæ ad- *nienses*
 hibeantur. Ita ille. *b*

Non improbabiliter censent aliqui *b Mar-*
 viri docti, sufficere in magnis pericu- *chinus*
 lis vngere vnum, vel alterum sensum *de peste*
 magis obuium, proferendo verba illi *part. 3.*
 Vnctioni respondentia. *c. 6. n.*

T 3

Ita 16.

Ita Doctores Louanienſes, ita Paſtorale Mechlinienſe, ita Suarez & Henriquez qui exiſtimant probabile eſſe ſingulas Vnctiones conferre partem aliquam gratiæ quæ ſufficit ad tollenda peccata lethalia; & adeò in caſu neceſſitatis licere miniſtrare hoc Sacramentum quaſi dimidiatum, applicando dumtaxat partem vnã illius aut alteram.

*a Pra-
positus
in 3. p.
q. vnica
de Sac.
Extr.
Vnct.
dub 6.
Barbo-
ſa de
officio
Paro-
chi c.
22. n.
16.
Maxci-
nus in
pr. viſi-
tandi
infirm.
pra. 8.
du. 18.* Iacobus Marchantius in candela- bro de Sacram. tract. 6. lect. 3. dicit hanc opinionem omninò probabilem eſſe, ideoque à multis in praxi, hoc tempore uſurpari.

Nota peſte laborantes poſſe inungi virgula aliqua oblonga ſiue argentea, ſiue lignea.

Quia eiufmodi inſtrumenti uſus, non inferit vllam huic Sacramento irreuerentiam, & multum confert ad vitam miniſtrantis conſeruandam.

AMICVS FID. *Quid agendum cum ijs qui inciderunt in amentiam?*

PHIL. Eis miniſtranda eſt Extrema Vnctio, etiamſi valentes eam non ex- petierint.

Qui enim cum valerent, debite Sa-
cramenta alia perceperunt, censentur
habere virtualem semper & interpre-
tatiuam intentionem etiam illud per-
cipiendi. *a*

Zambranus addit phreneticum vel
furiosum si resistat, fortiter tenendum
vel ligandum. *b*

AMIC. FID. *Quid agendum cum pueris?*

PHIL. Post septennium, nisi constet
eos carere vsu rationis, danda Extre-
ma Vnctio, licet numquam commu-
nicauerint. *b*

In dubio autem an habeant vsu
rationis possunt inungi sub conditio-
ne. *c*

AMICVS FID. *Quando adhibenda
Extrema Vnctio?*

PHIL. Peccant ministri qui non ad-
hibent hoc Sacramentum, vel amici
qui non accersunt ministrum donec
infirmus iam iam exhalaturus est ani-
mam, & vsu rationis destituatur; quia
vsus rationis & deuotio infirmi plu-
rimùm confert ad effectum huius Sa-
cramen-

T 4
rentibus in cap. de Extr. Vnct. dub. 1. & alij. *b* Zā-
branus supra. Sancius in selectis disp. 27. nu. 17.

donicus
Mera-
tius in
D. Th.
tom. 3.

tra. de
Extr.
Vnct.

Sācius
tra. 3.

Extre-
to. 1. c.
5. &
alij.

b Lay-
man in
Theol.

Ex-
moralis
l. 6. tr.

7. c. 4.
nu. 2.

Zam-
branus
de casi-
bus tēp.
mortis

occur-

sonius cramenti. Et Sacramentum hoc con-
to. 2. in fert vires contra tentationes quæ so-
3. part. lent præcedere priuationem vsus ra-
q. 32. ticnis, cùm destitutus ratione non sit
art. 8. capax tentationum, neque leuaminis
b Idem contra vim morbi. Ita Bellisonius. a
dicunt Bellarminus lib. 2. de Arte bene
Ioann. moriendi cap. 8. reijcit causam cur
de la multi ægri non conualescant, in tardi-
Cruz tatem illam petendi Extremam Vn-
in di- ctionem, ait enim: cur autem rarissi-
rect. mè conualescant ægri nostro tempore
consci- hac Vnctione suscepta, ratio est. —
entia Quia seriùs quàm oportet hoc Sa-
2. de cramentum exhibetur ægrotis: ne-
Sacra. que enim per hoc Sacramentum mira-
Vnct. cula expectanda, quale miraculum es-
dub. 3. set, si is qui agit animam continuò
concl. 3 conualesceret. Verùm si hoc Sacra-
Piri- mentum conferretur ægrotis quando
gianus periculosè laborare incipiunt, sæpè vi-
in 4. deremus effectum sanitatis, quæ non
Sentē- quidem momento, sed tempore suo
tiarum succederet, &c. b
tit. 2. AMICVS FIDEL. An iteranda Extrema
dist. 23 Vnctio?
q. vnica PHIL. Iterari potest hoc Sacramen-
art. 5. tum,

tum, quia characterem non imprimit.

Et quidem in diuturnis morbis ut
hydropisi & Hectica ubi semel pericu- a Em-
lum desijt, si recrudelcat; toties est manuel
iteranda extrema Vnctio quoties peri- Sa ver-
culum recruduerit, ut infirmus nouum bo Ex-
habeat leuamen in nouo articulo trem a
mortis. a Vnctio.

Quocirca Concilium Trid. sess. 14.
c. 3. de Extrema Vnctione sic pronun-
tiat. Quod si infirmi, post susceptam
hanc Vnctionem conualuerint (hoc
est vel omninò recuperauerint vale-
tudinem vel ad tempus meliùs se ha-
beant & euaserint periculum mortis)
iterum subsidio huius Sacramenti iu-
uari poterunt cùm in aliud simile dis-
crimen inciderint.

AMICVS FID. *Quis minister huius Sa-
cramenti?*

PHIL. Solus Parochus: Ex commis-
sione quilibet Sacerdos; nunquam au- b Fil-
tem eo inferior. b liucius.

Seruet ritus & cærimonias in suo
Episcopatu consuetas; caueat præter-
mittere orationes adhiberi solitas, nisi

T 5

proxi-

proximum mortis periculum suadeat
tantisper differendas, usque dum es-
sentialia Sacramenti peracta sint, resu-
mendas verò, si infirmus adhuc super-
stes sit. Ita in morali sua Theolog.
Martinus Bonacina. Vide etiam Tan-
nerum num. 4. disp. 7. quæst. 1. dub. 3.
nu. 85.

a *Præ-* AMICVS FID. *Quid si Minister huius*
positus Sacramenti sit suspensus, vel nominatim
in 3. p. excommunicatus?

q. vnic. PHIL. *Cùm censuræ pro Ecclesiasti-*
de Sac. ca disciplina institutæ fiat, non debent
Extr. vergere in detrimentum animarum.

Vnct. *Et cùm Ecclesia propter longè infe-*
dub. 6. riorem utilitatem permittat cōmer-
num. cium cum nominatim excommunica-
144. *to, non censetur hoc in casu illud pro-*

b *Dia-* *Suadet Diana, quidquid contradicant*
na par. aliqui, hanc Præpositi sententiam non
5. tra. *esse deserendam. b*

3. Re- AMICVS FID. *Quid si templum sit sub*
solut. interdicto?

77. PHIL. *Tempore interdicti, moribun-*
dus sensibus destitutus qui Sacramen-
ta alia suscipere non potuit, iungi
potest,

potest, ne omninò sine Sacramentis
discedat. *a*

Diana Parochos admonet, vt si ca-
sus iste occurrat, sententiam hanc in
favorem animarum amplectantur, &
sine metu in praxim deducant. *b*

Quærit Diana parte quarta tract. 3.
Resol. 91. An Parochus peccet mor-
taliter, qui timens vocari de nocte ad
moribundum, defert secum domum
suam oleum Extremæ Vnctionis, vel
reuerfus ab Vnctione infirmi, non re-
fert ad Ecclesiam?

Respondet Barbosa de officio Pa-
rochi cap. 22. nu. 44. id quidem fieri
non debere: quod si tamen fiat citra
scandalum vel periculum irreuerentiæ
non videri esse peccatum mortale:
crediderim ego nec veniale, si iusta id
de causa ac decenter fiat.

Hinc tamen aduertant Parochi,
quantam rationem habere debeant re-
uerentiæ ac munditiei, si quando ca-
sus tulerit vt Oleum sacrum, domi
suæ, ad tempus asseruandum sit.

NOTA.

Nonnullos interdum reperias, qui,
postea-

a Zā-
branus

de ca-

sib. tēp.

mortis

c. 5. du.

7. n. 5.

Henri-

quez l.

3. c. 10

num. 3.

b Dia-

na par.

3. tr. 4.

Resol.

191.

posteaquam moribundum oleo sacro inunxerunt omnes se boni Pastoris numeros expleuisse arbitrentur: ideò que curam eius deponant omnem, neque de eo postea reuisendo quidquam laborent. Euellenda stirpitis ex eorum animis ea opinio est.

Extrema Vnctio conducit, fateor, & quidem plurimum aduersus tela nequissimi ignea, quibus hominis calcaneo insidiatur; at hominem impeccabilem non reddit, neque à tentationibus immunem; proinde animandus atque adeò adiuuandus est quamdiu in agone contendit. Tantùm abest vt minui iam possit, vt etiam augeri debeat pastoris vigilantia. Imitandi sunt industrii mercatores, qui naues pretiosis onustas mercibus portum licet ingredientes, accurare non desinunt; memores vel in portu naufragium, vel in exscensione detrimentum metuendum esse. An merx vlla, animarum merce pretiosior?

AMIC. FID. *Quid ergo agendū porrò?*

PHIL. Reuisat, inquã, ægrum sæpiùs: soletur illum: intelligat an graui aliqua

qua aut molesta tentatione pulsetur, & remedia præscribat opportuna. Quòd si diutiùs duret languor, intelligat an nihil sit noua confessione expiandum? An panis cælestis desiderio aliquo teneatur. Agentem animam si fors repererit, campani æris indicio, vrbis aut pagi incolas, accolafque admoneri curet vt precibus suis moribundum adiuuent. Mos ille Leodina in Ditione hæctenus salutariter admodum obseruatus, constanter retinendus est: atque vtinam toto Christiano orbe vsurpetur! tunc enim, si vnquam, feruentissimæ ad Deum pro agonizante funduntur preces, etiam ab ijs quibuscum, moribundoque, inimicitia olim non leues, simultatesque intercedebant. Ferit nimirum, & potenter ferit, non modò corporis, sed & animæ fores, ferale illud cymbalum, perinde atque si cum Ecclesiastico diceret: *Memento nouissimorū, & desine inimicari.* Eccl. 28.

Opinione atque adeò voluntate nostra diutiùs in salebroso hoc scriptio- nis genere demoramur.

Claudite

Claudite iam riuos pueri, sat prata biberunt.

AMICVS FID. Opportunè puero-
rum mentionem ingessisti: heu! fle-
bunt illi, haud dubiè, si indonatos ita
præterieris.

PHIL. Quid mihi cum pueris vitæ
ianuam ingredientibus? viuant illi &
diu viuant: negotium cum moribun-
dis mihi est; fuit, inquam hætenus;
nunc obligatam exolui fidem.

AMICVS FID. Quasi verò mori-
bundorum catalogo expungendi sint
pueri: Parcas, pueris non parcere, iux-
ta mecum intelligis Philarete; quàm
sæpè vix nati denascuntur! pari tamen
cum adultis æternæ mortis periculo,
si non etiam maiore, exponuntur. Age
ergo, veluti Opilionibus agnelli (mini-
ma licet gregis portio) ita & Pastori-
bus, atque ad eò tibi Philarete, paruuli
istricordi esse debent.

PHIL. Verè (vt omnia) Eccl. c. 18.
Cùm consummauerit homo, tunc incipiet.
At, quale erit istud Hysteron prote-
ron? ab Extrema Vnctione, quæ fit in
morte, ad primam quæ fit in vitæ ia-
nuæ

qua, id est in Baptismo. Ne verò contra Baptismi ordinem aut dignitatem aliquid moliamur, pauca dumtaxat ex eo, in gratiam paruulorum, per modum Appendicis delibabimus.

A P P E N D I X

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

Quenam materia Baptismi?

Materia remota Baptismi, est aqua naturalis: proxima verò, est externa corporis ablutio; siue fiat ea per immersionem corporis in aquam, siue per infusionem, siue etiam (in necessitate) per adspersionem. Neque tamen omnis aqua, licet vera & naturalis, idonea est ad baptizandum, nisi sacris in fontibus benedicta sit (intelligendum Baptismus in Ecclesia, de morte, solemniter celebratur) nam si urgente necessitate aliqua Baptismus, extra Ecclesiam sine cærimonijs moribundo conferatur, quælibet aqua (modo naturalis sit) ad baptizandum idonea erit.

Dicitur,

Dicitur, *Naturalis*: ad excludendam cereuisiam, sudorem, lachrymas, saliuam; aquam rosaceam, aquam distillatam, aut alium liquorem artificialem specie differentem ab aqua naturali. Vide Martinum Bonacinam to. 1. de Theol. morali fol. 46.

Potestne ad baptizandum alia aqua quam naturalis adhiberi?

Sunt Authores, benè multi, qui doceant in casu necessitatis, deficiente aqua naturali, artificialē adhiberi posse; qualis est aqua rosacea, vel aqua aliorum florum, siue etiam herbarum & plantarum per stillationem elicita. Ita asserit Ioannes Puteanus Sacræ Theologiæ Professor Regius, in Academia Tolosana: cui assentitur Ioannes Præpositus: vterque in 3. part. D. Tho. quæst. 66 art. 4.

Ideò autem, in extrema necessitate, liquores illi adhiberi possunt, quod non omninò constet an differant specie ab aqua naturali; & quod Ecclesia hactenus non definiuerit nullo planè casu vllam aliam aquam à naturali, sufficere ad valorem Baptismi.

An

*An hoc pacto, irreuerentia Sacramēto nō ir-
rogatur? periculoq; irritationis exponitur?*

Respondet in simili dubio Sancius Sacramentum quasi iuri suo cedere, nec ægrè ferre se exponi periculo irritationis, vbi de salute proximi spiritali & de maiore securitate agitur; Et, quod vbi charitas cum religione concurrat, religio haud difficulter charitati cedit: quamquam Baptismatis irritationi cauebitur, si sub conditione, videlicet si materia hæc idonea sit, conferatur; quod omninò faciendum censet Ioannes Præpositus, sublatoque periculo, quæ sita que diligenter & inuenta aqua non dubia, Baptismum sub conditione si baptizatus sit superstes, iterandum.

DE FORMA BAPTISMI.

Forma Sacramenti Baptismi sunt hæc verba: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.*

Diligentes esse conuenit Pastores, vt intelligant an Obstetrices nouerint debitam formam Baptismi proferre, & materiam applicare.

V

Expedi

Expedit vt formam linguâ vernaculâ potiùs proferant quàm Latinâ: Latinam enim cùm non intelligant, pronum magis est vt in ea efferenda errores aliquos admittant. Videndum ne quid addant vel detrahant formæ. Sunt quæ, ex stultâ deuotione, addunt formæ, Nomen B. Virginis, vel Sanctorum aliquorum, vel omnium, dicentes: *Te te baptize au nom du Pere, & du Fils, & du S. Esprit, & de la glorieuse Vierge Marie, ou bien: Et du Bien heureux*

a Iacobus de S. François, ou bien: Et de tous les Saints & Bien-heureux.

Graf-fijs in suis dec. Periculosæ plenum opus alex! Est non nemo qui audeat asserere eiusmodi additionibus Baptismi formam totam vitari. *a*

aur. p. Sed credibile est, eiusmodi additiones non ideò fieri vt infans baptizetur
2. l. 1. in nomine aut virtute B. Virginis, sicut baptizatur in nomine Patris & Filij & Spiritus Sancti, sed vt Baptizato B. Virginis aut Sanctorum patrocinium & intercessio profit ad gratiam baptismalem conseruandam. Sic autem acceptæ conditiones illæ, nihil habent

bent quod formæ perfectioni obsistat. Adde, verba in quibus tota formæ perfectio consistit (nempe, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*) priùs tempore operari effectum suum quàm particulæ illæ (*& B. Virginis, & Sanctorum omnium*) addantur, & ideò neque ab eis tolli posse, qualemcunque tandem errorem significant.

SVBIECTVM BAPTISMI.

Subiectum Baptismi est quilibet homo natus, existens in hoc mortali corpore siue sit infans, siue adultus, siue sit vir, siue fœmina. *a*

Dicitur *homo natus*, quia non potest baptizari infans in utero matris existens, qui necdum prodijt in lucē: *b* si tamen prodijt aliqua ex parte, baptismus in necessitate administrandus est in qualibet corporis parte, etiam in solo digito, si nequeat in capite baptizari. Hanc autem doctrinam ita extendunt aliqui vt ad valorem baptismi dicant sufficere si aqua capillos tantùm attigerit: *c* quia capilli reputantur tanquam partes hominis; vnde illis ablutis homo simpliciter dicitur ablu-

a Bonacina

to. 1.

fol. 57.

b Idem

tom. 1.

fo. 49.

c Sotus

in 4.

dist. 3.

q. vnic.

art. 7.

§. 3.

Vas-

quez

tom. 2.

in 3.

part.

disp.

tus. 146.

a Hur-
radus
de Sac.
Bapt.
disp. 1.
diff. 6.
Pre-
positus
in 3. p.
D. Th.
q. 66.
art. 8.
dub. 3.
nu. 93.

tus. Sicuti moribundus in minima sui corporis parte abluī, siue baptizari potest, ita etiam cum exigua admodum aquæ quantitate. Panormitanus & Innocentius IV. in c. debitum de Baptismo, aiunt quamcumque guttā aquę ad Baptismi valorem sufficere: quam opinionem etsi aliqui generatim non admittunt, admittunt tamen in fauorem moribundorum puerorū, quibus baptizandis, si quantitas maior non superpetat, vel vnā aquæ guttam sufficere haud grauatè concedunt. *a* Debet autē gutta illa non nihil per corpus, vel per corporis partem defluere; non enim illud ablueret si immobilis permaneret.

An puero moribundo, quando baptizatur, susceptor, siue patrinus debeat adhiberi?
b Sotus
in 4.
dist.
42. q.
1. art.

Non est credibile Ecclesiam voluisse obligare parentes ad quærendos paternos in casu talis necessitatis: vnde nulum extat eius tale præceptum. *b*

1. Quod si tamen aliquis in eiusmodi Henri-
baptismo, tenendo infantem Suscep-
quez l. toris munus obeat, non ideò Patrinus
2. c. 18 aut Susceptor efficietur. Susceptio e-
& alij. nim est cærimonia ab Ecclesia institu-
ta

ta ad Baptismum solemnem ac proinde solemnitate deficiente, deficit quoque vera susceptionis ratio. Vide Granadum de Sacr. in 3. part. contr. 4. tr. 2. disp. 5. nu. 4. Sanchez de matrimonio tom. 2. l. 7. disp. 62. nu. 15.

DE BAPTISMI MINISTRO.

DVplex est Baptismi Minister: Minister ex officio siue solemnitatis, & Minister necessitatis. Minister ex officio est Sacerdos. Minister necessitatis est omnis homo habens usum rationis, potensque ac sciens debitam formam proferre & materiã applicare.

Potest ergo fœmina baptizare, vt a *Bobol. obstetrices* ratione necessitatis; quin & *macina* Hæreticus & Paganus, modò intentionem habeant baptizandi, baptizare poterunt. *tom. 1. fol. 55. nu. 4.*

Aduertendum est seruari debere ordinem inter Ministros necessitatis, ita vt Diaconus præferatur Subdiacono; Clericus Laico; Vir Fœminæ.

An grauis sit culpa hunc ordinem inuertere?

Inter Ministros necessitatis non videtur

a So- detur grauis esse deordinatio, nec pro-
tus in inde grauis culpa si vnus alteri præfe-
4. di- ratur; quandoquidem nulli ex officio,
stinc. 4 ius competat baptizandi, præterquam
quæst. Sacerdoti. a

vn. art. Sunt qui doceant Laicum bapti-
I. zantem præsentem & non contradicen-
Suarez te Sacerdote (modo absit cõtemptus)
in 3. non peccare nisi venialiter. b

part. t. Inter alios verò necessitatis Mini-
3. d. 31 stros Sacerdote inferiores, baptizet il-
b Va- le qui peritior est & expeditior. Si mu-
lencia lier sit peritior & expeditior viro, vt
tom 4. sunt communiter obstetrices, ne qui-
disp. 4. dem venialiter peccabit, si baptizandi
que. 2. partes, præteritis alijs, sibi vindica-
pun. 1. uerit. c

Ioann. In præsentemortis periculo possunt plures
Suarez simul baptizari.

in En- Ita censet D. Thomas d nihil enim
chirid. desideratur ad valorem Sacramenti,
casuum nec vlla fit ei irreuerentia, etiamsi nõ-
con- nihil à consueto ritu recedatur, pro-
scien- pter extremam baptizandorum neces-
tia. l. sitatem.

5. verbo Baptismus. c Pitigianus in 4. sent. tom. 1.
disp. 6. q. 1. art. 1. Syluius in 3. part. q. 67. art. 3.
& aly. d In 3. part. q. 66. art. 5. ad 4.

sitatem. Immo, est qui existimet, etiam extra casum necessitatis, baptizantem plures, mortaliter non peccare, si fiat id citra scandalum; d proferenda autem tunc est forma numero plurali.

Infans moribundus (si ad eum non esset accessus, vel valde periculosus) aqua adspersione baptizari poterit.

Constat enim quamcumque ablutionem, siue fiat immersione, siue infusione siue adspersione, quantum ex se est, sufficere ad valorem & essentiam Baptismi: quia quaecumque ex his est vera ablutio, quæ verbis formæ Baptismi significatur. Et verò, satis constat Ecclesiam hoc baptizandi modo olim usam esse: nam & S. Laurentius aquæ adspersione baptizasse legitur; Et de Apostolis creditur adspersione baptizasse, quando vna die quinque millia baptizauerunt, vt dicitur Act. 4.

In praxi tamen, secluso casu necessitatis, seruandus est modus in vnaquaque Ecclesia, pro tempore, præscriptus & vsitatus.

In Ecclesijs vbi mos vsitatus est baptizandi per immersionem, in casu

a Sotus
in 4.

sen. di.

4. qua.
vnic.

art. 4.

§ se-

cundò
sequi-

tur.

a Lay- necessitatis baptizari poterit per aquæ
man l. affusionem; Et ubi trina viget immer-
5. tra. sio, vnica adhiberi poterit cum inte-
2. c. 4. gra formæ pronuntiatione, *a* ob mo-
n. 4. ræ periculum, ne infantem priùs mo-
Zam- ri contingat quàm tres immersiones
branus fiant.

de Sac. Peccántne mortaliter Sacerdotes, vel Laici
Bapt. in peccato mortali baptizantes?

c. 1. du. Etsi multos viros doctos videam
12. n. 9 in ea esse opinione: *b* magis tamen af-
b Hur- sentior ijs qui contrarium tenent, nem-
tadus pe baptizantes moribundum in pecca-
de Sac. to mortali, non peccare mortaliter. *c*
in ge- Et ratio est, quod ille, qui baptizat in
nere necessitate, non gerit se vt ministrum
disp. 4. solemnitatis; vnde non debet obligari
diff. 9. tam arctè, vt Christi & Ecclesiæ san-
Durã- ctitati conformetur.

aus in Audiendus Petrus de Cabrera: Mi-
4. dist. nister necessitatis, inquit, siue sit Lai-
5. q. 6. cus,
Gabriel q. vnic. a. 3. d. 2. c Caietanus, Soto, Va-
lencia, Henriquez, Suarez: Et è recentioribus Ia-
cobus Granado de Sacram. in 3. part. contr. 3. tra.
5. disp. 5. nu. 6. Præpositus in 3. part. quest. 64.
art. 6. dub 1. Mercerus de Sacramen. in 3. part. q.
64 ar. 6. dub. 1.

cus, siue Sacerdos, qui in peccato mortali administrat Sacramentum, etiam si videns & sciens faciat, non peccat mortaliter, imò verò neque venialiter, si aliquam habeat reuerentiam, & cum aliquo timore & pudore id faciat; & addit argumenta adlucta in contrarium, tantùm procedere de Ministro qui ex officio, & cum solemnitate Sacramentum istud administrat. Ita ille de Sacra. q. 64 art. 6. disp. 1. §. 4. n. 17.

Atque hæc de Baptismo, tribusque alijs Sacramentis in moribundorum gratiam dicta sufficiant; ne meritò querantur Theologi morales, nos fallacem nostram audacter nimis, & largè, alienam in messem immittere.

AMICVS FID. Quid ais, Philarete? orexim proritasti veriùs quàm sedasti.

PHIL. Orexim malim quàm nau-seam proritasse: quibus hæc non sufferint, poterunt si volent, & quando volent, ex indicatis Auctoribus altera tanta, & eo plura, mutuari. His interim vtere tu, & illud à Domino Deo tibi dictum puta: *Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronã vitæ.* Apoc. 2.

F I N I S.

I N D E X

Rerum præcipuarum quæ hoc Libro continentur.

Quid agendum agro ubi morbi periculosa indicia deprehenderit. Cap. I.
Pagina 1.

Amici fidelis encomia. pag. 2.

Magni momenti negotium adiuuare moribundos. pag. 3.

Quid Amico fideli cogitandum, cum vocatur ad agrum. pag. 3.

Moribundus ope Amici fidelis saluatus, non est futurus immemor beneficij in calo. pag. 5.

Quenam potissimum in Amico fideli desiderantur. pag. 7.

Amicus fidelis versatus esse debet in spiritalibus. pag. 8.

Præmeditari debet Amicus fidelis quod dicturus est. pag. 9.

Amicus fidelis vocatus ad moribundum, moras omnes abrumpat, & citò aduolet. pag. 10.

Quàm doluerit B. Seuero Pastori, non statim ad agrum aduolasse. pag. 11.

Recens ac rarum eiusdem argumenti exemplum. pag. 14.

Ami-

INDEX.

- Amicorum fidelium par nobile. pag. 18.
- Alia quaedam in gratiam aegroti ab Amico
fidei praestanda. pag. 27.
- Interrogationes, quibus ager ad fidei, spei,
caritatis, aliarumq; virtutum actus eli-
ciendos, adiuvetur. pag. 28.
- Endologia morbi tempore identidem animo
pertractanda. pag. 31.
- Inducendus ager ad tempestivam commu-
nionem. Cap. 2. pag. 38.
- Peccatorum expiatio confert ad corporis a-
nimiq; incolumitatem. pag. 40.
- Quomodo doloris sensum Amicus fidelis in
agro excitet. pag. 41.
- Quomodo disponendus ager ad sacrum via-
ticum dignè suscipiendum. pag. 44.
- Verba illa, O sacrum conuiuium, &c.
meditanda. pag. 45.
- Quid agendum praesente Venerabili Eucha-
ristia. pag. 50.
- Quomodo Sancti nonnulli aegri ad Venera-
bilem Eucharistiam suscipiendam se pra-
parauerint. pag. 51.
- Quàm auide Sancti multi sacrum Viaticum
expetierint. pag. 52.
- Quid agendum accepta venerabili Eucha-
ristia. pag. 54.
- Quomodo

INDEX.

- Quomodo excitandum in agro Extrema
Vnctionis desiderium. pag. 56.
- Exempla eorum quibus profuit sacro oleo
inungi. pag. 57.
- B. Elzearius & B. Maria Ogniacensis Ex-
trema vnctionis virtutem notam habe-
bant. pag. 59.
- A Christo Domino B. Lyduina inungitur.
pag. 61.
- Olim Sacramentum Extrema Vnctionis Sa-
cramento Eucharistiae praeittebatur.
pag. 64.
- Quo modo animandus aeger aduersus diffi-
cultates quas habet vt se compareret ad
mortem. pag. 65.
- Quo modo animandus aeger ad ferendos a-
quo animo morbi dolores. pag. 79.
- Quo modo iuuandus aeger in tentationibus
contra fidem. pag. 86.
- Quo modo animandus aeger contra diffiden-
tiam. pag. 98.
- Quo modo repellenda vana gloria & pra-
sumptio. pag. 106.
- Quo modo Amicus fidelis inducere aegros
possit ad eliciendos actus Diuini amoris.
pag. 114.

Ora-

INDEX.

- Orationes pro obtinenda charitate. p. xi8.*
Quo modo induendus ager vt Dei amore,
dolores & alia morbi incommoda per-
ferat. pag. 119.
Exempla varia eorum qui Dei amore dura
& aspera lubentes pertulerunt. pag. 121.
Actus contritionis ante mortem ab infirmis
excitandi. pag. 124.
Actus fidei, spei & charitatis. pag. 127.
Actus resignationis. pag. 129.
Oratio moribundi ad Patrem aeternum, vt
Christi in Cruce morientis contempla-
tione sibi ignoscat, mortemq; felicem in-
dulgeat. pag. 131.
Cereus accensus detur moribundo in manus.
pag. 135.
Non expectanda semper hora vltima. pag.
137.
De Christi in Cruce fixi Imagine moribun-
dis ostendenda. pag. 138.
Non sunt fatigandi agonizantes longis ac
molestis sermonibus. pag. 146.
Orationes è Rituali Romano moribundis
suggerenda. pag. 148.
Quenam mortuo praestanda sint ab Amico
fideli. pag. 149.
Curandum vt Amici & assistentes, è domo,
luctus,

INDEX.

- luctus, reportent domum suam rationes
& modos aliquos parandi se ad bonam
mortem.* pag. 150.
Sapè de morte ante mortem meditandum.
pag. 152.
Epitaphium hominis Christiani. pag. 156.
-

INDEX ORATIONVM
PARTIS SECUNDAE.

- P***Reces recitanda pro recuperanda sani-
te.* pag. 159.
Litania B. Virginis cum Orationibus. pag.
163.
*Litania recitanda pro ijs qui tendunt ad
mortem cum Orationibus.* pag. 168.
*Ordo commendationis animæ è Rituali Ro-
mano.* pag. 174.
Tres vtilis Orationes pro agonizante. pag.
186.
*Litania de Nomine IESV cum Orationibus
suis.* pag. 189.
*Alia inuocatio dulcissimi Nominis IESV cum
Oratione.* pag. 194.
Passio Domini nostri Iesu Christi. pag. 198.
*Litania Passionis Domini nostri Iesu Christi
cum*

INDEX.

- cum Orationibus suis.* pag. 212.
Varia alia Orationes pro moribundo. pag.
219.
*Planctus B. Virginis Mariae cum Orationibus
ad eam.* pag. 228.
*Quaedam agro suggerenda tractum & arti-
culatè cum iam mox expiraturus puta-
tur.* pag. 243.
Dicenda post expirationem. à pag. 246.
vsque ad finem Partis secunda.
-

PARTIS TERTIÆ.


- P**roloquium. pag. 256.
*Resolutiones morales Dubiorum quæ cõ-
tingere possunt circa administrationem
Sacramenti Confessionis.* pag. 258.
*De dubijs circa communionem moribundo-
rum.* pag. 282.
*De Dubijs circa administrationem Sacra-
menti Extrema Vnctionis.* pag. 291.
De Dubijs circa Baptismum paruulorum.
pag. 303.


FINIS.


EGo infra scriptus Societatis
IESV in Gallo-Belgica Pro-
uincialis, iuxta Priuilegium eidem
Societati concessum, quo Bibliopolis
omnibus prohibetur, ne Libros ab
eiusdem Societatis hominibus com-
positos absque Superiorum permis-
sione imprimant, permitto Balduino
Bronckart Typographo Leodiensi
vt Librum, cui titulus est, Ami-
cus fidelis vsque ad mortē,
sive Modus iuuandi mori-
bundos, &c. Auctore P. PHI-
LIPPO BOVCHY SERVIO, eius-
dem Societatis, ad sex annos proxi-
mos imprimere, & liberè diuendere
possit. Datum Leodij 12. Februa-
rij 1647. *sort. 8557 Paderb. 1654.*


HVBERTVS WILTHEIM.


atis
ro-
dem
olis
s ab
m-
nis-
ino
nsi
ni-
ē,
ri-
II-
us-
ci-
ere
a-
54.
A.













Th

4493